

HERCVLIS SAXONIA
PATAVINI.
In eodem Gymnasio florentissimo
Pract.^ca ordinariã profitentis.
DE PLICA QVAM POLONI
GWOŹDŹIEC, ROXOLANI
KOŁTVNVM VOCANT.
Liber nunc primũ in lucẽ editus.
Pat. Apud Laurẽtiũ Pasquatũ.
M. DC.
VTRAQ
CIVIS

BIBLIOTH: UNIV:
JAGELLONICAE
Cim. Qu. 5209

ILLVSTRISSIMO HEROI

IOAN. ZAMOYSKI DE ZAMOSCIE,

REGNI POLONIAE SVPREMO CANC: ET EXERCITT: GENERALI,

BELZENSI, MARIAEBVRGENSI, DORPATENSI, KNYSZYNENSI, MIEDZYRECENSI, GRODECENSI, IAVVOROVIENSIQ. ETC. ETC.

CAPITANEO

Domino & Patrono obseruandiss^mo

HERCVLES SAXONIA PATAVINVS

Practicæ Ordinariæ, in eodem Patauino Gymnasio florentissimo Professor Ordinarius, S. P. D.

ACcuratissimi illi rerum præclarè gestarum Scriptores, aiunt, AEgyptios pro pueris graui aliquo morbo affectis, vota Diis concipere solitos; & eorum impetrata salute, defectũ

capillum dedicare. Non admodum dissimi lem inuenio apud Athenienses fuisse consue tudinem, qui ex Ephebis iam exeuntes, Del phos delatos, de comis Deo primitias offer re curabant. Idem mihi hoc tempore acci dere video Heros Ill^me qui non pro Pueris aut Ephebis, sed pro vniuersæ Poloniæ, oīum Regnorum meherculè amplissimæ opulen tissimæq;, & ad omnium disciplinarū, mi litaris præsertim peritiam aptissimæ, capillo rum morbo nunc grauiter implicitæ salute impetranda, libro hoc meo vota facturus : tibi Heroi Diis illis Antiquorum longè maio ri, comam hanc implicitam atq; inuolutam dedicare, & consecrare volui. Quidquid .n. Diis illis, aut Deorum filiis, id est Heroibus, olim laudis tributum est: id maxima ex parte fictum atq; inane videmus: contra verò post hominum memoriam, nihil tam præclari, nihil tam eximii in rebus humanis iuueni tur; quod tibi vni iure adscribi tribuiq; nō possit. Quis enim est te vno, non apud Po lonos solùm, sed apud omnem Christianita tem bellica laude præstantior? Testis est illa

tua

tua in bello Moſcouitico præclariſſima ope
ra multis maximiſq; expeditionibus declara
ta, quam cũ Sapientiſſimus & Inuictiſſimus
ille sãctiſſimæ recordationis Rex, STEPHA
NVS BATTORI ſatis ſpectatam habuiſſet:
te Generalem Exercitus Poloniæ Ducẽ per-
petuum publicè creauit. Teſtis illa poſt Se-
reniſſimi Regis Poloniarũ SIGISMVNDI
III. inauguration em, celeberrima ex hoſte
Regni parta victoria. Teſtis eſt Chriſtiani no
minis acerrimus hoſtis Turca, à te ex Roxo
lania eiectus. Teſtes ſunt innumerabiles nu
per Magni CHAM Europæi cohortes, qua
rum impetum in Dacia ad Cecoram fluuiũ
cum quinq; Polonorum millibus retardaſti,
& ad pacis conditiones ſuſcipiendas coegi-
ſti. Quis te deinde in D. O. M. pietate inſi-
gnior? qui Chriſtianam religionem non ſo
lùm à Barbarorum incurſibus, ſed etiam ab
impiorum inſidiis acerrimè tueris? Quis de
niq; in ſubleuandis egẽtium calamitatibus,
in amplificãdis Polonorum fortunis, in præ
ſtanda demũ in omnes beneficentia te vno
aut frequentius aut vberius aut etiam lauda
bilius

bilius vnquam versatus est, vel hoc tempore versatur? Quàm verò in Litteras earūq; Professores tua voluntas propensa sit, & quàm magnum ac planè diuinum ad promouēda omnium disciplinarū genera studium: etsi plurima eius rei exstent argumenta, illud tamē ex omnibus præstare imprimis videtur: quod in nouo tuo Zamoscio, quam vrbem firmissimis propugnaculis cōtra Barbarorū impetus muniendam curasti; Academiam erexisti, erectāq; magnis redditibus annuis ornasti, impetratis ad ipsius dignitatē augendā à S. D. N. CLEMENTE IIX. Pont. Max. priuilegiis: vt in ea Optimatum liberi in humanioribus atq; in artibus Equestri ordini apprimè necessariis, more Maiorū instituerētur: & tu in dies ampliorem habeas copiā de Litteris Litteratisq; benèmerendi; imò & de tota Polonia, cui per rectam tenellorū Equitum institutionē, tui similes quam plurimos Legum & Libertatis Polonæ vindices prouides. Hæ verò quas cōmemoraui, sunt quidē potissimæ causæ, quibus has tibi de Plica lucubrationes dicarem; sed illæ, ceteris

quoq;

quoq; cões sunt, qui tibi, iisdẽ moti quibus præstas virtutibus, sua scripta cõsecrant. Sũt tamen aliæ, mihi propriæ. Ad id enim, illud insigne amoris argumentum me impellit, quod Excell: Philosophiæ Doctor Ioannes Vrsinus Leopolienſis, Academiæ tuæ Zamoscienſis Professor, huc ad artis Medicæ doctrinam percipiendam à te missus; ac vniuerso Collegio nostro, tuis litteris vehementer cõmendatus, me sibi potissimum delegerit medendi Doctorem; vt mea ille, si quæ est in me, doctrina perpolitus: non exiguũ Academiæ tuæ splendorẽ, & Vrbi adiumentum possit adferre. Ad idem me præterea impulit, illud honorificum, quo me tua solùm humanitate ductus affecisti, munus: ingens alacrioris ad tuũ Vrsinum instituendũ operæ reddendæ incitamentũ; cuius mores, & in re Medica studiũ, certò nobis persuadent ac confirmant; eum te ex eo, quem soles fructũ à tuis alumnis exspectare, esse capturũ. Huc accedit, quod cũ Perillustrem quendã Polonum hoc genere morbi laborantẽ, primus ego in Italia curassem; ac totã Poloniã, vbi id malũ grassabatur, iuuare statuissem:

ex Eruditissimi tuæ Zamoscièsis Academiæ Rectoris litteris primùm, deinde verò ab Illustriss: D D. IOACHIMO de OCIESZYNO Olstinensi &c. Capitaneo, Affine tuo (qui tum Romam, Anni sancti gratia cum Illustriss: Vxore sua proficiscebatur) morbi huius naturā luculentissimè sum edoctus. Quare si id vnde ceteris opitulari possimus, à tuis, tuo beneficio, accepimus: quis est, qui tibi soli lucubrationes & has vigilias nostras deberi non intelligat? Has igitur tu Dux felicissime & maxime, qualescunq; illæ sint, multis tamē de caussis tibi debitas, ea humanitate accipe, qua soles tui studiosorum munera: patereq; illas in lucē sub Amplissimi nominis tui præsidio tutellaque prodiisse. Quod si te feciisse intellexero: erit cur mihi gratuler, mecūq; præclarè actū esse putē, qui abs te, quod tātopere cupio, sim cōsecutus: vt me in tuorum numerū, hac animi tui significatione, non inuitus recepisse videare. Deus autē Opt. Max. te & Regno Poloniæ, & toti Christianitati, quàm diutissimè seruet incolumem. Pat. A. D. X. Kal. Maias. Anno supra Millesimum Sexcentesimo.

Præfatio ad Lectorem.

EGO verò, vt ingenuè fatear Humaniſſime Lector, nihil minus cogitabam, quam de libris ea potiſſimùm ratione componendis & conſcribendis, vt tandem meo nomine publicis litteris traderentur. Atq; id quidem, ita me Deus amet, non ijs quæ ab obtrectatoribus noſtris contra nos ſcripta eſſent, perteritus, aut quaſi Mus pice deguſtata, timidior quàm antea factus (ſcio etenim nunquam obtrectatores defuturos, & eos qui ad carpendum magis quàm ad imitandum aut perdiſcendum aptiores ſint) ſed quia nihil monimentis publicis conſignandum putarim, niſi nouũ, admirabile, pulcrum, difficile; idq; vtile imprimis atq; hactenus intentatum, vel certè ab alijs non ſatis explicatum. Eiuſmodi argumentum hactenus mihi non ſuppetebat. Nunc autem cùm bellicoſiſſimæ gentis Polonæ, morbus ſanè omni ex parte ſcitu digniſsimus, mihi primùm in Italia curandus, mox verò cum alijs Præclariſſimis ijſq; primarijs Patauinis Profeſſoribus publicis, examinandus ſe ſe obtuliſſet: ſtatim me & à priori inſtituto reuocauit, & ad publicè ſcribendum impulit. Quis enim quęſo eſt pietatis amator, atque bonarum artium ſtudioſus, qui ſiue finem operis componendi reſpiciat, ſiue propoſitam materiam contempletur, non ſtatim animum ad dicendum conuertat? Lues ignota, omnium maximè ſæua, atq; Chironio deterior vulnere, opulentiſſimum, & vſq; ad noſtram memoriam inuictiſſimum Sarmatiæ regnum depopulatur; gentemq; illam Religione, fortitudine, prudentia, rerum omnium cognitione & peritia, generis ſplendore, opibus nemini totius orbis regioni ſecundam, miſerrimè torquet; & malum malo medicante, ex ſæuiſſimis doloribus ac conuulſionibus & inflammationibus, in fædam quandam pilorum conuolutionem, qua ſi ex igne in fumum, vel ex flamma in cinerem impellit:

solatij aut interualli horas nullas aut dies relinquit : annosq; integros plurimos id facit. Quis ergo horum non misereatur? quis statim pro facultate suppetias non ferat? Quis innumerabilem populum modo tam lacrymabili lapsum errigere non studeat, proximè verò casurum, pro virili sustentare ac præseruare non tentet? Res momentanea non est, nec leuis, non inter plebeios aut vulgares tantum, sed inter Nobiles ac Primates diffusa, vt qui in hoc casu suam operam præstare velit, is certus sit illam se collaturum, in tot Equites, Capitaneos, Castellanos, Pallatinos, Episcopos, qui res Diuinas atq; humanas quotidiè tractant, Christianamq; Rempub. à Barbaris, prauisq; hominibus tuentur & ampliorem reddunt; imò verò se & de Rege ipso benè meriturum, de Rege in quam eo, qui tam amplissimi Regni moderator, Religione clarus moribus ornatus, in rebus gerendis strenuus, in aduersis iniurijsq; ferendis magnanimus, summus studiorum cultor, legum obseruator, in regendo prudentissimus, in iudicãdo æquissimus, in ceteris verò rebus, cunctis gratissimus; nil magis in votis habere videtur, q̃ tanti iã mali inuentã esse medelã, ærumnarũq; leuamẽta intelligere. Quocirca proposito hoc fine, tot & tantis viris grato fortè etiam ægris non inutili futuro: quis aut obdormiscet, aut perfunctoriè tantam iuuandi occasionem tractabit? nemo quidem, vt ego arbitror, artis Medicæ Professor & Nationum Poloniæ amator, præcipuè si conuertat animum ad rei argumentum nouum, difficile, mirabile; atq; propterea gratum, pulcrum, speculationeq; dignissimum futurum. Nouum autem hunc affectum esse, nemo non intelligit, qui artem Medicam saltem à limine salutauerit. Etenim vt multa præteream, quæ in hoc morbo sunt, & de vnico tantum pilorum affectu sermonem instituam; qui non videat, præter Alopeciam, Ophiasim, Defluuium capillorum, Caluitium, & Canitiem, Medicos alias non inuenisse proprias pilorum affectiones? A quibus quàm longè distet inaudita, nec vnquã aliàs visa hæc pilorum implicatio sine inuolutio: nos in præsen-

tia,

tia, facta cum ceteris existimatis nouis morbis collatione, facilè aperiemus. Et ne ollam, vt aiunt, ostentare videamur: hunc cum alijs ad sacoma appendere non grauabimur. Proponantur itaq; noui isti morbi, antiquioribus ac recentioribus tantopere decantati: videamusq; sit ne quispiam qui huic Pocutiano debeat aut possit præferri. Plinio noui olim putabantur, Elephantiasis, Mentagra, Carbunculus, Stomacace, Scelotyrbe; alijs Hydrophobia, lues Gallica, Scorbutus, lues Morauica, Febris lenticularis, Britannica, Theriodes siue Vngarica atq; id genus plurimi: quorum nullus tantum mihi videtur admirationis habere, quantum Podoliensis iste affectus.

Quomodo enim Elephantiasim, Pompeij tantum tempore incepisse affirmabimus, si huius notas, vsq; adeò veræ Elephantiasi proprias ac certas descripserit Hippocrates Epidemiorum V. vt nullas potiores inuenire possis; cutem scilicet præduram & callosam, quæ digitis apprehendi minimè potuisset, cum pruritu totius corporis, præcipuè autem frontis & testium, apprimè molesto. Iccirco non Lepram, sed Lepræ similem dicat, vt qui optimè intelligeret, Lepræ nomine Græcos vel fædam scabiem, vel feræ impetiginis differentiam accipere, à qua non parum distabat affectus iste, veram Elephantiasim omni ex parte præseferens.

Multò uerò minus Mentagram dicere potest Plinius nouum esse affectum, etiamsi Tiberij tempore, à Perusino Equite Romam fuerit delata: Lichenes enim Græco nomine vocari confitetur, voce & affectione priscis omnibus Græcis notissima, atq; ideò à Mentagra, non forma & essentia, sed loco tantum & malignitate distante.

De Carbunculo pariter, quocunque tandem tempore Romæ primum inceperit: res est conspicua, antiquissimum illum fuisse, si non alibi, saltem (Plinio sic confitente) in Narbonensi Gallia, vnde fuerat delatus.

Stomacace autem aut Scelotyrbe, morbi quidem videntur nomine, essentia caussisq; omni ex parte noui. ex vnico siquidem aquæ medicatæ potu dentes vacillare, & ca-

dere, compagesq; genuum dissolui : res est admirationis plena, non tamen prorsus noua ; quando eundem affectum quem scribit Plinius lib. xxv. capite iij. sub Germanico Cæsare ex maligno illo fonte trans Rhenum constituto factum: docet Strabo libro xvi. ante illum sub Augusto, exercitui AElij Galli contigisse: dum apud Nabathæos expeditione facta, milites fructibus illius Regionis & aquis, immodicè vterentur.

Accedit, quod si, quę de Scorbuto, à Balduino, Ronseio, Langio, Salomone, Alberto alijsq; scribuntur, vera sunt; illum videlicet nil aliud esse quàm Plinij Stomacacem aut Scelotyrbem; hæc verò omnia vel ad Voluulum Hippocratis hæmatiten, vel ad magnos Lienes referri: statim sequitur, neq; Scorbutum Septemtrionalium, neq; Plinij aut Strabonis Stomacacem aut Scelotyrbem, nouos esse morbos, sed Hippocrati cognitos, alijs tamen vocibus descriptos.

Hydrophobia profectò aliquid noui & admirabilis semper in se continuisse visa est. Hominem enim ex paruo canis rabidi morsu, eo dementiæ peruenire, ut malit mori, quàm aquam degustare; res est admiratione & cõmiseratione dignissima. Si tamen intimius omnia considerentur, nihil in ea nouum reperias. Noua etenim non est praua hominum imaginatio, qua congrua, iucunda, honesta, & vtilia auersantur. Nam Melancholici id nos quotidie docent, quorum alij oleum, vinum, acetum aliosue liquores non minus fugiunt, quam Hydrophobi aquam, omnesq; pari gradu in Melancholicorum censu ab Aetio ex Galeni & Rufi sententia in libro de Melancholia inscripto repositi sunt. Video statim aliquem dicturum, nouam quidem non esse prauam imaginationem, sed nouam esse caussam, cum neq; Aristoteles, neq; alij celebres eiusdem ætatis rerum naturalium scriptores reperiantur, qui ex morsu canis rabidi, hunc fieri effectum publicis monimentis traderent. Ego verò, sicuti Marcello Donato, & Petro Salio facilè assentior, qui Hydrophobiam ex internis principijs fieri existimarunt: ita mihi

certò

certò persuadeo, nunquam defuisse aquam timentes à rabido cane morsos; sed ex priscis illis Philosophis, ac Medicis quosdam putasse, affectum qui aliquando Menses plurimos, atq; Annos latebat, ex tam leui principio, ortum ducere non potuisse. Hinc Arist. asseruisse, cetera animalia omnia à cane rabido morsa statim rabiescere excepto homine, quanquam alij, plus homine, legendum putent. Quos etsi nequaquam improbandos esse censeo: iuuat tamen priori lectioni insistentes arbitrari, posteriores naturalium rerum perscrutatores, hac in parte longè oculatiores extitisse, illudq; cognouisse & obseruasse quod tantopere latuerat, aquæ videlicet pauorem, ex morsu, aut canis rabidi spuma, non octo tantum Menses, sed quandoq; Annos latere potuisse. Non debet ergo affectus inexplicatus, nouus nuncupari; sed potius nouiter cognitus dici. Sed quid in his moror? aut cur longiore oratione demonstrare contendo, antiquissimã quidem esse Hydrophobiam, sed ignotam aut inexplicatam. Fuit profectò quibusdam Aristotele antiquioribus notissima atq; explicatissima. Democrito primùm, quando de Opisthotonijs verba facit; Hippocrati verò, cum Phreniticos Paruibibulos commemorat; Polybo, cum Aqui-fugas citò interire scribit; Homero, cum Tantalum fingit aquas bibere non valentem, & Teucrum inducit dicentem, se Hectorem quasi rabidum canem percutere non potuisse. Quod si isti noui non sunt, qualem ergo nouũ existimabimus, an forte luem Gallicam? At luem istam perinde Indis occiduis antiquam, Variolas autem quæ nobis antiquissimæ sunt, illis nouas esse: Historię eorum testantur, qui de huiuscemodi nouo orbe scripsere. Præterquam quòd ex tribus in hoc affectu existentibus, nullum verè nouum inuenias. Non quidem morbos, aut symptomata. Etenim vlcera, tumores, caries, dolores, aliaq; id genus plurima, Pudendagrę familiaria: antiquioribus cunctis Medicis fuere cognita; vt propterea inter primos illos qui de lue Gallica scripserunt, longa animi contentione disputatum sit; esse ne hic affectus, Lepra, an

Impe-

Impetigo, vel Ignis Persicus, aut Assafati, vel tale aliquod morbi genus, Antiquis explicatum. Sed neq; contagiũ ex congressu Venereo communicatum vndequaq; nouũ esse, ex Guilelmo Saliceto, qui floruit anno 1270. & Gordonio, ac Valasco de Taranta, qui viguit anno 1418. colligi potest. Hi enim Gonorrhœæ ex contactu muliebri mẽtionẽ fecere, quæ tamen hoc tempore vnum ex certioribus morbi Indici signis à cunctis reputatur. Venenum autem huic affectui valde familiare, video à cæteris venenatis qualitatibus non genere, sed priuata quadam forma differre, à qua si nouorum morborum discrimina desumantur; infinitæ propemodum possint constitui morborum nouorũ differentiæ. Itaq; neq; hæc verè noua est.

Video iam potiores percurrisse affectus, qui aliquam in se maiestatem, ac nouitatis speciem obtinuisse videbantur, quorum nullus (ni mea me fallit opinio) vndequaq; nouus dici potest; vt propterea multò minus qui sequuntur noui censeri debeant. Non quidem lues Morauica, vt potè quæ luis Venereæ priuata est quędam differentia, Brunus Gallicus vocata. Non Febris Lenticularis Fracastorij, & Vngarica, ac Britannica sudorifica, quia febres sunt pestilentes, variam quidem faciem præseferentes, Hippocrati tamen, & cæteris Antiquioribus notissimæ. Neq; enim aliud putandum, esse Hippocratis Papulas paruas in pestiferis febribus apparentes, quàm nostras Peticulas siue Fracastorij lenticulas. Neq; aliud existimandum esse febrem Vngaricam, præterquam pestilentem, cum summa tamen putredine connexam, licet multò minorem illa cuius iij Epidemiorum meminit Hippocrates in qua carnes decíderent, atq; ossa denudarentur.

Britannica verò sudorifica, quid quæso noui habet? An quod sit Ephemera? haud quaquàm; Antiquissimæ enim sunt ephemeræ An quod sit sudorifica? minime; nam & Elodes sudore madebant perpetuo. An quod venenata? at venenatæ sunt & aliæ plurimæ; Nihil ergo in his hactenus egregium aut valdè rarum inuentum est.

Memoratu quidem dignissimum mihi videtur atque hor-

horrendum, quod in Pannonia contigisse narrant, natas passim, in humanis corporibus viperas, ac lacertas Anno 1549. quæ mille hominum in dies post cruciatus acerbissimos interficerent, nulla Medicorum arte vel industria succurente. Sed quis non pariter nouum, mirabile, & horridum putet, capillos ex propria natura planos, demissos, humiles, ac simplices, momento temporis sponte sua, sub cœlo admodũ frigido ĩcrispari, paulo post errigi, inuolui, atq; indissolubiliter coniungi: varias recipere figuras, quandoq; maximi cuiusdam anguis, aliquando plurium & minorum serpentum, vndiq; vermes, spurcitiẽ, fœtoremq; redolere, quodq; omnium maximum est & à seculo inauditum, acu perpunctos, vel transfixos, sanguinem effundere? Si ergò mirabile hactenus creditum est vnicum caput Gorgoneum, si mirabilius caput Furiarum, quas pro capillis colubres gestare autumant, quis non horreat & miretur, tot non fabulosa sed vera humana capita, longè aptiora, ad saxea & immobilia efficienda spectantium corpora, fictitijs illis Poetarum inuentis? Nouus est ergo affectus iste, & multis nominibus longè admirabilior viperis ac lacertis Vngaricis. Illæ enim breui admodum præterierunt, & vnico tantum modo corpus agitasse visæ sunt: hic verò qui videtur à Furijs oriundus, Dardanijsq; artibus refertus, fons, & scaturigo tot tantorumq; malorum, quot quantaq; vix humana hæc natura perpeti possit, per multos iam annos perseuerat. Et quasi Tyrannidem quandam exercens, modo in summo capitis vertice pro capillis sedens, & habenas omnium in se continens, corpori quietem concedit: aliquando vero quasi iratus, & irritatus, in totum corpus diffunditur, nil amplius solatij, aut quietis relicturus. De nouitate satis dixi. Ad rei iraq; difficultatẽ me conuertens, quid quæso illã clariùs ostendit, quam quod affectu isto iam ante annos quinquaginta, forte etiam plures diuagante, nemo adhuc sit inuentus inter tot ac tam præclaros rei Medicæ Professores, iudicio, studio, ac quotidiano experimento valens, fortè etiam ab amicis &

Patronis

Patronis excitatus, qui aliquid de hac re publicum facere voluerit. Perterruit me quidem ab initio huius rei cogitatio, qui maximam obstrepentium cateruam sentiebã, nobis temeritatem, ac leuitatem insimulantium; sed Thriorum strepitum existimaui, iccircò hastam abijcere nolui, qui timidos nunquam Trophæum statuisse cognouit. Audacter itaq; prouinciam suscepi, & ad illos qui obijciant, suscepisse nos explicandum affectum nunquã visum aut curatum, neq; adhuc integrè vel per litteras, vel ex relatione expositum: respondeo, oportuisse quidé nos in multis, vt in Prouerbio est, Cribro diuinari: fatemur tamen, nos in potioribus tantum, ex Epistola Mag. Rectoris Zamoscienſis, atq; ex relatione multorum habuisse, accedente curatione in Perillustri D. Tarranovvski audacter suscepta & feliciter completa, vt tuto potuerimus de his disputare.

Quòd si rursum quis instet, me haudquaquam profiteri posse, doctiorem ex epistolæ narratione, atque vnica obseruatione factum, tot Excellentissimis Medicis Polonis, assiduè in hac affectione versantibus, atque ideò impudentiæ argumentum esse de ijs apud illos scribere, quæ ipsi multò melius norint. neq; enim ranis vinum præministrari, sed apud Doctissimos viros, hæc scribi; qui falsa, inania, ac figmenta facilè sint cognituri. His respondemus, non ideò hunc nos suscepisse laborem, vt Excell: Poloniæ Medicos alioſuè eruditemus; neq; quòd certò nobis persuaderemus, punctum ac scopum à nobis attingi posse, quem alij vix fuerint intuiti; sed eo tantum fine in hanc descendisse arenam, vt amplissimum hoc Regnum Deo fauente iuuaremus; vel id ex voto non succedente, alios saltem ad id præstandum excitaremus. Nõ est ergo is accusandus qui dum in communẽ hominum vtilitatem insudat, scopum non assequitur: sed qui nec consequi tentat, atque labori parcens, etiam si pro sua eruditione ac iudicio prodesse posset, quiescit tamen, & pro tripode sedens, in Circo currentes obiurgat. Ego quidem, Primarios publicos Patauinos Professores

ad

ad præsentis casus consultationem vocatos, Horatium Augenium, Hieronymum Fabricium ab Aquapendente, AEmilium Campilongium, Eustachium Rudinum, Io: Thomam Minadoum, Alexandrum Vigontiam, Antonium Nigrum, non nisi summis laudibus efferre possum, quos omnes vidi tam sedulo ac libenter, tam docte ac prudenter hac de re consuluisse, quam si de laribus ac focis priuatis res acta esset. Ac spero equidem, vnumquemque illorum pro sua humanitate, atque erga Polonos beneuolentia, propriam sententiam tanta materiæ Medicæ supellectile refertam, atque acri quadam ingenij vi inuentam, libentissimè publicam facturum. Quòd iam video feciſſe Io: Thomam Minadoum Rhodiginum, iure optimo cunctis antesignanum factum, vt pote qui summo cum valeat ingenij acumine, scribendi facilitate, linguarum peritia, variaque delectetur scriptorum lectione, iugi ac perenni studio deditus, veramq; scribendi methodum nactus sit; facillimè potuit, & disputationem istam, & ante illam externos omnes affectus atque alia iam diuulgata, summa nominis proprij gloria, ac Reip: litterariæ emolumento nobis communicare. Erit ergò & reliquorum officium idipsum perficere. Ego verò etiamsi pauciora quã ceteri hac in parte polliceri, ac præstare possum: libens tamen ac volens munusculum hoc quanquam exiguum, ni fallor tamẽ opportunum, ac debitum, Polonis offerre volui. Quod si forte alicui imperfectum, incomtum, inornatum, vel obscurum visurum sit: excusationem promeribitur; vt potè quòd ad sui ipsius ortum, incrementum, absolutionem & ornatum, has tantum habuerit præteriti Carnis priuij ferias. Volui autem illud potius nudum maturè porrigere, & quam primum si fieri poterit opitulari: quàm pro illo induendo expoliendoq;, Curationi indutias dare. Accipe igitur benignè Lector noſtrum de Plica tanquam de rara Aue commentarium, in quo etiamsi longa admodum oratione, plurima

de Pilorum ac veneni causſis disputata inuenturus sis: non tamen putes nos, vt aiunt, extra oleas seruisse. Cum enim sint duo hæc totius nostræ disputationis fundamenta: debuerunt profectò omni ex parte declarari, muniri, ac confirmari. In reliquis, si quid inuenias quòd minus placeat vt scio te in festino & abortiuo partu inuenturum, boni æquiq; consulas, rogo. Vale.

In clarissimi expertissimiq; Medici

HERCVLIS SAXONIA

Librum de Plica nouo Poloniæ Morbo.

Τετραμετρὸν.

O Æsculapi germen aut Coi Senis,
Et fabuloso maior Hercule Hercules,
Tu q implicatas primus explicas plicas,
Tricasq; inextricabiles, quibus modo
Miserè remotos obsideri Sarmatas,
Podoliam Poloniamq; cernimus;
Quid vniuersis incolis & accolis
Septem Trionum contigit felicius,
Quam te patronum & vindicem nanciscier?
Qui contumaci monstro vt alter Hercules
Generosa primus arma fortiter pares.

Præceptori suo bene de se merenti
Franciscus Saßenus
Belga Louaniens.

Patauij ∞ IↃ. XCIX. V. Kal. Ianuarij.

In Perillustris Excellentissimiq; Medici

HERCVLIS SAXONIA

LIBRVM

De Plica morbo inter Polonos sic grassante, vt angues exprimant capilli,

EPIGRAMMA.

QVid miser (infandum) cerno? Gens inclyta, pingues
Sarmatiæ toruos quà rigat Ister agros,
Vipereis flauos monstris redimita capillos
Cernitur, vnde sinus dira venena petunt.
An prisca redeunt gentis spectacula? Regnis
Num tetrum Stygijs exerit Hydra caput;
An mage Gorgoneis nigri serpentibus Orci
Panduntur postes, Eumenidesue ruunt?
Verùm qd queror? Anguicomus si territat horror,
En nouus Alcides qui noua monstra domet.

P. B. Scribebat.

INDEX

INDEX CAPITVM.

CAP. i. Historiæ Plicæ enarratio. pag. 1.

ij. De ordine agendorum. 13

iij. De nomine Plicæ. 14

iv. De essentia Plicæ. 18

v. In quo affectus genere sit Plica. 20

vi. Vtrum Plica inter affectus communes, an potius inter sporadicos sit referenda. 23

vij. An Plica sit morbus benignus vel malignus. 28

iix. Quomodo Plica sit morbus malignus. 30

ix. An Sidera possint esse Plicæ caussa. 31

x. An caussa Plicæ in aerem sit referenda. 39

xi. An Maleficia possint esse caussa Plicæ. 42

Vtr um

xij. Vtrum contagium possit esse causa Plicæ. 53
xiij. Quæ sit vera Plicæ, communis causa. 56
xiv. Venenum in humanis corporibus gigni posse. 58
xv. Venenum Polonicum intra corpora generari, & tamen deleterium non esse. 61
xvi. De proxima huius veneni materia. 64
xvij. De causa Cirrorum. 66
xiix. De causa Furfurationis. 67
xix. De causa Pediculorum. 68
xx. De causa implicationis. 71
xxi. Quæ sunt causæ fumi, fuliginis, ac vaporum oium in genere. 73
xxij. Quas ob causas materiales, & effectiuas, Polonorum corpora, prædictis redundent excrementis. 76
xxiij. De loco affecto. 79
xxiv. Proponuntur quædam dubia & soluun-

ſoluuntur. 81
xxxv. De cauſſa veneni effectiua. 83
xxxvi. De huius veneni proprietate & agendi modo. 89
xxxvij. Quas alias ob cauſsas Plicæ venenum commune ſit. 90
xxxiix. Quomodo aeris conſtitutio poſsit eſse cauſsa Plicæ. 92
xxxix. Plicæ vniuerſalis, definitio propo nitur. 98
xxx. Quomodo venenum ſit cauſsa tot morborũ ac ſymptomatum. 99
xxxi. Proponuntur varia dubia contra definitionem propoſitam. 103
xxxij. Cur hoc venenum non ſit interficiens. 105
xxxiij. Quomodo poſsit eſse venenum abſq; contagio. 107
xxxiv. Quomodo venenum vſq; adeo infenſum, abſq; inſigni putredine generetur. 109
xxxv. Venenum ex leui etiam putredine fieri poſse. 115

Vene-

xxxvi. Venenum hoc Sarmaticum fieri cum leui putredine. 119
xxxvij. Solutio quorundam problematum. 121
xxxiix. De pilorum caussis ex communi sententia. 125
xxxix. Propoſita ſententia examinatur & impugnatur. 127
xl. Catholica de pilorum generatione ac causſis. 133
xli. Prædictæ ſentẽtiæ dilucidatio. 135
xlij. Soluuntur quædam dubia. 146
xliij. De ſignis quibuſdam diſtinctius. 153
xliv. De Prognoſticis. 158
xlv. De curatione Plicæ et primum de remedijs ad faſcinationes. 159
xlvi. De curatione Plicæ ſecundũ cauſſas naturales. 163
xlvij. De curatione Plicæ poſt capillorũ implicationem, & primo de auxilijs Chirurgicis. 173
xlix. De Pharmacia, & primo de vomito-

mitorijs. 177
il. *Qua ratione Dogmaica purgatio instituenda sit.* 180
l. *De purgantibus caput.* 188
li. *De curatione veneni in genere.* 190
lij. *De attrahentibus similitudine substantiæ.* 192
liij. *De Psilothri vsu.* 201
liv. *De attrahentibus similitudine materiæ.* 205
lv. *De attrahentibus caliditate.* 207
lvi. *De attrahentibus ratione vacui et doloris.* 210
lvij. *De inunctione hydrargyri.* 213
lvix. *De internis, venenum in cutem impellentibus.* 216
lix. *De alterantibus venenum internis.* 221
lx. *De alterantibus venenum per manifestas qualitates.* 229
lxi. *De symptomatis ac morborum peculiari curatione.* 231
lxij. *De ratione præseruandi.* 233

lxiij. De corporis exercitatione. 235
lxiv. De balneis & frictione. 238
lxv. De excrementis à capite educendis. 240
lxvi. De expurgandis aliarum partium excrementis. 242
lxvij. De præseruantibus à veneno 243

INDEX

INDEX

In quo prior numerus Paginam, posterior vero lineam seu versum indicat.

ABstinentia sola, Rogatianus à Chiragra & Podagra liberatus. 235.15

Academia Patauina Medicos, semper eruditos & sapientes habet. 7.5

Academiæ Zamoscienſis de Academia Patauina iudiciũ 3.10

Academiæ Zamoscienſis Rector de morbo Cirrorum ad Patauinos Medicos scripsit. 2.15

Academiarum commune vinculum artes. 3.5

Achores fiunt ex humorum varia mixtione. 72.8

AEgolethron Plinij. 93.33

AEmilius Campilongius Prof. Pat. cum Auctore iusserat Natam externam abscindere. 115.1

AErugini antidotus. 221.20

AEstuaria in plica. 209.13

AEtate pubertatis cur genę & pubes pilis vestiãtur. 138.5

Aer cunctis indiuiduis & locis communissimus. 39.5

Aer morborum vulgarium caussa vniuersalis. 39.20

Aer qualis eligendus. 234.9

Aer quibus alterandus. ib. 24.

Aeris constitutio humida quomodo possit esse caussa Plicæ. 97.20 & 97.17.

Aeris humidam constitutionem per vniuersam Europam ab annis 72. esse. 94.20

Agaricum in Polonia quam optimum colligitur. 181.15

Agglutinatio à quo fiat. 19.16

Agglutinationis caussa, materia vaporosa, tenuis, sed oleosa. 72.21

Agglutinationem vel inuiscatio nem pilorum Mag. Acad. Zamoscienſis Rector, quomodo Oratoriè expressit. 19.1

Albumazarus in prædictione aduentus Machometis mendax. 36.31

Alexander Trallianus citat Galeni sententiam de maleficijs. 46.23

Alexandri Vigonza Historiam concinnatam, de rarissima & admiranda cuiusdam puellæ putredine, cur Auctor ad verbum in hoc opus transferre noluerit. 112.8

INDEX.

Alexandro Magno donata fuit puella napello nutrita, quæ suo complexu homines interficiebat. 123.6

Alexiteria, media inter corpus & venenũ eße debere. 193.1

Alopecia fit ex humoribus salsis. 72.2

Alterantia venenum à tota substantia quotuplicia. 221.5

Alterantia venenum diaphoretica. 222.13

Anacardijs antidotus 221.22

Andreas Naruszevvic nationũ Poloniæ Consiliarius, quid Auct. de Plica retulerit. 8.25

Andreghettus Andreghettius Prof. Pat. Auctoris librum de lue Venerea edidit. 85.5

Animalia triplicia in humani corpori ambitu genita, generatori sunt infensa. 69.30

Antidotum propriam inuenturus, naturam veneni debet habere perspectam. 221.15

Antidotus propria Auripigmẽto. ibid. 24

Antidotus propria AErugini. ibid. 20

Antidot. propr. Anacardijs. ibid. 22

Antid. prop. Araneis. ib.23

Antid. prop. Cantharidibus. ib.

Antid. propr. Ceruſæ. ibid.21

Antid. propr. Cicutæ. ib.28

Antid. propr. Cinnabari. ib.

Antid propr. Ficui Pharaonis. ibid. 30

Antid. propr. Fungis. ib.

Antid. propr. Gypso. ib.20

Antid. propr. Hydrophobiæ. ibid. 28

Antid propr. Hyosciamo. ib.29

Antid propr. Minio, ibid. 19

Antid propr. Opio. ib.25

Antid. propr. Tarantulæ. ib.24

Antid. propr. Sublimato. ib.26

Anus Eriphus Adagium. 155.13

Aqua alterata ad Balnea. 229.21

Aqua ardens, Sarmatis dicitur vinum crematum. 78.20

Aquę benedictæ vsus in cubiculis. 163.11

Aqua cordialis Auctoris. 221.4

Aquæ cordialis vsum ad Plicã cur Auctor Polonis suaserit. 226.5

Aqua Theriacalis. 217.3

Aquam Theriacalem supplentia. 218.25

Araneis antidotus. 221.23

Argenterius quomodo de Pilorum ortu à vulgari sententia minimè recesserit. 126.23

Argentum viuum in auellana cur Auctor pro puerorum plica curanda experiri suadeat. 201.15

Argento viuo Patauinæ mulieres qua ratione vtantur ad lac restituendum. 200.10

Argento viuo lac restitui, Auctor aliter sentit quam mu-

lierculæ. ibidem 16. *vide Hydrargyrum.*
Arnoldus Villanouanus, in prædictione aduentus Antichristi Mendax. 37.5
Arthritis maligna quę. 101.16
Arthritidis cauſſa mediata & immediata.
Arthritide pueros & infantulos laborare, nouũ & veteribus inauditum. 27.22
Articulari morbo quos minimè ſubijci Hyppocrates dixerit. 25. 31
Articularium in plica dolorũ cauſſa proxima & ſecundaria quæ. 105.21
Aßaphati ſiccũ Arabibus, Tinea Italis, fit ex humore Melancholico. 72 4
Aſpectus ſiderum qui. 37.26
Aſtrologi in ſuis principijs inter ſe non conueniunt. 35.11
Aſtrologi prudentiores poſt rei euentum, facilè cauſſam inuenire poſſint & quare. 37.13
Aſtrologi quæ probabilia proponunt, ſi intimius perſcrutentur, nihil habent ſolidi 34.3
Aſtrologi ſiderum vim à ſublunaribus immutari confitentur. 36.10
Aſtrologica Medicis prætermittenda, & quare. 38.6
Aſtrologicas de morbis cauſſas, Auctor minimè recipit, & quare. 33.3
Aſtrologorum cauſſæ incertæ, imò ſuperuacaneę. 36.17
Aſtrologorum nugas S. Ambroſius irridet. 37.7
Aſtrologorum prædictiones ridiculas eße qui demonſtrarunt. 36.29
Attrahentia veneni duplicia. 191.25.
Attrahentia caliditate quæ. 207.20
Attrahentia ratione vacui & doloris. 210.20
Attrahentia ſimilitudine materiæ triplicia. 206.11
Attrahentia ſimilitudine materiæ indiuidualia vel ſpeciali, in plica locum non habere, ſed generica tantum. ib.4
Attrahentia generica ſimilitudine materiæ in plica quæ. ib.17
Attrahentium deleteriorũ apud Medicos primus vſus. 197. 2. *Secundus vſus.* 199.10 *Tertius ab Auctore inuentus.* 201.20.
Atram bilem in ſanguinis copia gigni accedente calore vſtiuo 79. 1
Atramentum Typographorum ex quo conficitur. 73.30
Auctor de Plica ad Dei gloriã, & vtilitatem Polonorum ſcripſit. 245.27
Auctor de plica veriſima atq; indubitata loquitur. 2.8
Auctor primus curauit plicam

Tatanij, & abscidit, & in proprio Musæo seruat. 12.30. & 55.3.
Auctor vnde cognouit Plicæ historiam. 22. & 12.25. & 13.2
Auctor vnde didicerit plicam esse in Germaniæ & Vngarię partibus. 8.21. & 9.4
Aues certis remedijs à se noxia & infesta arcent. 160.16
Aurea venefica ex quo Galen. Epilepsiam fieri concedit, quã caussam Medici inueniant. 102.10
Aurę venenatæ quanta est attractoria facultas. 101.1
Aureæ venenatę, variè admodum gignuntur. 64.5
Auras venenatas in partibus corporis genitas, ex pingui vel oleosa substantia oriri posse, quibus Auctor confirmet. 86.27
Auripigmento antid. 221.24
Auro potabili, cur Auctor nihil tribuat. 244.25

B

Balneum ex aqua alterata. 223.21
Balneum ex aqua dulci. ib.33
Balneo si quis vti non possit, quid facere debeat. 209.9
Balnea qualia in plica prodesse possunt. ibid.3
Balneorum aquæ quales. 239.5
Balneorum locus. ib.3
Balneorum vtilitas. 238.5
Balneis qui vti non debent. 239.17
Barbatæ mulieres ob quas caussas fiant. 137.22
Barszcz Roxolanorum, est Sphõdylium Dioscoridis. 11.34
Barszcz, quo errore Officinæ vocant Vrsibrancam. 12.2
Bellantius pro Astrologis scripsit. 38.31
Bezoar vel Bezoarticus lapis quid 222.25. quare eum Auctor parui faciat. 223.5
Bilis purgandæ ratio. 184.25
Bolum Armenum Galeni, Auctor habet. 244.5
Bona verba cur antiqui impetrare solebant. 155.33
Brunus, Gallicus in Morauia. 96.22.

C

Calores subcutanei in plica. 183.10
Caluitium quare Cæsari probro vertebatur. 137.3
Caluitium quare senes patiãtur, & qui Venereis plus nimis addicti sunt. 136.33
Caluitio Mulieres tentatas tres Auctor nouit. 137.12
Cani homines cur pleriq; nascantur. 151.12
Cani ex timore, quamobrem fiant. 150.26

Cani-

Canities per ætatis decursum, fit ex pituita dulci simplici. 72. 3
Canitiem ex putredine oboriri non posse. 129.15
Canitiem qui à primordijs generationis contraxerunt. 130.5
Cantharidibus antidotus. 221. 22.
Capillamentum ex seminis abūdantia luxuriare. 137.8
Capillus an pars sit corporis. 20. 24
Capilli cuius gratia. 21.15
Caput camino ignis quare comparatur. 81.10
Caput purgantia. 189.20
Capitis vlliones. 196.15
Cardanus luem Veneream, ad astra retulit. 38.1
Casparus Bauchinus Anatomicus præstantissimus pilos muliebri testiculo succrescentes vidit. 139.28
Catarrhus Epidemicus omnibus salutaris, cui Ducatui lethalis fuit. 96 23
Causa contentiua morbi quid. 22. 30
Causa non contentiua morbi quid. 25. 4
Cauteria Actualia. 197.32
Cauteria potentialia. 198. 5
Cauteria quibus locis adhibenda. 199.4
Cerebri excrementa duplicia. 240.25
Cerenisia potus Sarmaticus. 78.20
Cerui castruti cur non mutent cornua. 148.9
Ceruſæ antidotus. 22. 21
Chiragra quid. 17.20
Cholera qui morbus. 15. 8
Cibus qualis esse debet. 214.28
Cicutæ antidotus. 221.28
Cimicum materia quæ. 70.1
Cinnabaris antidotus quæ 221. 19.
Cirragra, non innenustè dicitur pro Morbo Cirrorum. 16.14
Cirragram, aut Morbum cirrorū cur Auctor non libenter dixerit. 17.11
Cirrus virulentus, Roxolanis Kol'tek. 16. 11
Cirrus & Plica affectiones pilorum sunt. 17.23
Cirri à principio Sarmatis nulla re molesti erant. 4. 5
Cirrorum seu crispitudinis causa duplex. 67.10
Cirrorum morbus, vide Morbus.
Cirrorum virulentorum rasionem quę consequantur. 4.15
Clauus capitis quid. 16.15
Clauus crinium Polonis quid 15.28
Clauus crinium cur Polonicè Gozdziec dicatur. 17.3
Clauus Græcè 16.31
Clauus manuum quid. ibid. 28
Clauus oculi quid. ibid.
Clauus pedum quid. ibid.

Clauī

Claui nomine aliquem vti pro Plica, Auctor non recusat, & cur : modo distinguatur ab alijs clauis antiquorum Medicorum. 17. 1
Cochleæ efficaces ad insensibilem veneni Plicæ euacuationem. 221. 15.
Coctio tertia quid. 80. 25
Coctionis tertiæ duplex excrementum. ibid. 26.
Coctionis tertiæ partes determinatæ in Plica. ibid. 30
Coculuquus Gallorum vel Coqueluche Gallorum quid 95. 24. & 96. 8.
Communionem frequentem Auctor cur suadeat. 163. 8
Contagium magnam vim in fomite habere. 53. 15
Cõtagium posse constituere morbum vulgarem. 53. 12
Contagij differentiæ. 55. 2
Contagiosi corporis conditiones tres. 104. 25. & 107. 5
Contractio membrorum in Plica vnde fiat. 102. 24
Conuulsionis seu spasmi causæ quæ. ibid.
Conuulsionis eadem ratio, quæ & Epilepsiæ ex aura venefica. ibid.
Cornelius Gemma non rectè dixit Galenum imperitis scripsisse. 38. 25
Cornelius Gemma quam pestem ad influxum Astrorum retulit. 37. 32
Coronatos Poloni Marcas vocant. 223. 3
Cornu ceruinum quale contra venenum efficacissimum est. 224. 6
Cornua ex seminali constare substantia. 141. 32
Cornua multa proponuntur aduersus venena. 223. 21
Corpora impetum facientia quæ 65. 18
Cridones Gallis quid. 143. 23
Crinis, vide capillus & pilus.
Crispitudinis causa triplex. 66. 13
Crispitudinis causas duas Auctor recipit & quare. ib. 21
Crucis sanctæ signum cunctis actionibus præponẽdũ. 163. 13
Cucurbitulæ scarificatæ quibus locis adhibendæ. 211. 3
Cutaneos quatuor affectus in Plica succedere. 80. 13
Cydonij odoris iucunditate lethalium medicamentorum vim hebetari. 162. 24

D

Decoctum in summa pituitæ copia. 186. 7
Dæmon naturalium omnium sacultatum cognitor. 49. 22
Definitio optima, tria habere debet. 14. 19
Definitio Plicæ, acceptæ pro affectu

fectu pilorum. 18. 11
Definitio Plicæ genericæ seu vniuersalis. 98. 26.
Definitio Plicæ genericæ seu vniuersalis, causſam reddit omnium, quæ in re definita continentur. 99. 25
Deleteria medicamenta, vide Medicamenta deleteria.
Deleteriæ proprietates in humano corpore genitæ, quot sint. 63. 27
Deliberatio de plica, ab octo primarijs Medicis, Patauij instituta fuit. 170. 24
Deliberatio de plica, necessaria fuit. 7. 6
Deliberatio de plica, quo anno fuit. 8. 5
Dentes & ossa ex semine ortum suscipere. 148. 5
Dioclis sententiam de sudoribus Auctor non recipit. 82. 10
Diuinum Hippocratis, quid. 39. 29 & 41. 7.
Dolorum vehementia, à causſis venenatis fit. 29. 23
Domitianus Imperator Apollonio Thienæo, cur pilos omnes abradi iusserit. 44. 31
Dracunculi affectus puerilis, qui Auctores meminerint. 144. 31.
Dropax post plicæ sublationem. 204. 15
Dubia quattuor contra definitionem plicæ vniuersalis, proponuntur. 103. 30
Dubia soluũtur. 105. 106. 107. 108.
Ductile, necessario humiditatem in se continet. 126. 26

E

ECcathartica quæ. 172. 10
Ecphractica quæ. ibid.
Electuarium Herculis Saxonia. 186. 20.
Elephantiasis quid. 15. 15
Emunctoria, aut igne, aut causſtico inurenda. 199. 2
Epilepsia, totius corporis cõuulsio 102. 10
Epilepsiam Gal. ex aura venefica fieri concedit. ibid.
Eritius ad plicam confert. 6. 14
Erinacei adeps ad gibbos tollendos. 233. 11
Erinacei caro desſicata magis quam recens ab Auctore probatur. 219. 5
Erinacei carnes cuius facultatis. 211. 20
Eripha venefica. 155. 11
Erysipelata fiunt ex bile. 72. 6
Euacuantia sensibiliter. 211. 1
Euacuantia in sensibiliter. ibid. 6
Exanthemata ex humorum varia mixtione fiunt. 72. 8
Excrementum crassum in visceribus & venis, quale. 81. 2
Excrementum tertiæ coctionis crassum quid. 80. 7
Excrementum tertiæ coctionis e crasſum

crassum triplex. 126. 2
Excrementum tertiæ coctionis crassum qũo circa ambitus totius corporis & caput colligatur. 81. 1
Excrementum tertiæ coctionis tenue quid. 125. 28
Excrementa tertię coctionis Polonicum constituunt affectum. 82. 1
Excrementa tertiæ coctionis, quare in Polonorum corporibus vsitatos non pariunt affectus, sed alios. 82. 27
Excrementorum tertię coctionis fuliginosorum, qui affectus vsitati. ibid.
Excrementorum tertiæ coctionis salsorum & acrium qui affectus vsitati. ibid.
Excrementorum tertiæ coctionis sine salsedine, qui affectus vsitati? ibid.
Excrementorum tertiæ coctionis vaporosorum qui affectus vsitati? ibid.
Exercitatio ante cibum. 237. 7
Exercitatio corporis, tria præcipua facit. 236 5
Exercitationis terminus. 237. 20.
Exercendi non est vnus modus & ratio. 236. 23
Exercitij leges. 237. 7

F

Fabarum facultates quæ. 122. 2
Fascinantes quomodo cognoscendi. 153. 7
Fascinatio fit vel intuitu, vel verbis. 155. 20
Fascinationis remedia. 159. 18
Fatum arbitrij libertatem tollit, contra omnes sacras litteras. 33. 25
Fatum qui ponebant 31. 10
Faui fiunt ex varia humorum mistione. 72. 8
Febris Ephemeræ subiectum est spiritus. 22. 3
Febris lenticularis Fracastorij in qua classe morborum reponenda. 31. 1
Febris lẽticularis quo anno fuit. 38. 3
Febris lenticularis quæ fuit caussa. 94. 26
Febris putridæ subiectum humores. 22. 4
Febris sudorifica Britannica quo anno cæpit. 94. 31
Febris Theriodes quid. 95. 10
Frictione vti debent, quibus balneis aut exercitatione vti non licet. 239. 25
Frigidum inimicum dentibus, ossibus. 26. 28
Fuligo digeritur à caussis extrinsecus valde siccantibus. 150. 30
Fuligo diuertitur in maximo timore atque in omni consternatione. ibid. 26
Fuligo generaliter quid. 73. 6

Fuligo non eleuatur in frigidis, & ualde senibus. 150. 26
Fuligo non est pars soli essentialis sed accidentaria. ibid. 2
Fuligo suffocatur quouis prouentu pituitosæ ac pinguis materiæ. ibid. 28
Fuliginis efficiens causa. 75. 3
Fuliginis genus ac subiectum proximum. ibid. 15.
Fuliginis in specie materia quæ. 75. 23
Fuliginem pili cur amittat. 150. 30.
Fumus generaliter quid. 73. 10
Fumi in specie materia quæ. 75. 24
Fumi materiam mediatam, respondere immediatæ materiæ. 74. 3
Furfuratio fit ex uaporibus acrioribus. 71. 29
Furfurationis causam quã Gal. ponat, quam Paullus & Auicenna, quam verò Auctor. 68. 1.
Furfurationis nomina. 67. 18

G

Galeni locus de purgationibus in cutaneis affectibus quomodo intelligẽdus. 180. 12.
Galeni locus xiv. Meth. cap. xiix. quomodo legendus & explicandus. 136. 5
Gallinarum & caponum cutis, quare pallato suauis. 136. 25.
Gargarisma caput purgans. 189. 25.
Gemmas alia ratione quam siccatione in Medicinis prodesse, Auctor ignorare se fatetur. 222. 17
Gibbositas vnde fiat. 102. 21
Gibbositas quę potest sanari, quę non. 233. 5
Gonagra quid. 17. 20
Gonorrhœa ex quo fiat. 85. 10
Gvvozdziec, Gozdziec, Gosciec idem apud Polonos, & quid significet. 15. 25

H

Hæmorrhoides quibus prouocantur. 177. 7
Hemitritæos pestilens in qua classe morborum reponenda. 31. 4
Helcydria fiunt ex humorum uaria mixtione. 72. 9
Hieronymus Capiuacceus placentulis Risagalli in pestilentia Patauina, sine fructu usus est. 199. 25
Hieronymus Mercurialis Auctoris præceptor. 26. 15
Hipocausta lecti quid. 239. 19
Hippocratis locus primo Acutorum quomodo legendus, vel interpretandus. 24. 25
Historia admiranda Patauinę adolescentulæ. 112. 16
Horatij Augenij de melancholia

ex aura exemplum 64. 12
Hreczka Roxolanorum quid peritioribus Herbarijs. 201. 3
Humida temporum constitutio aptior ad excitandos longos prauosq; morbos. 92. 6
Humores vel sunt sub propria forma, uel in vaporem conuersi. 71. 27
Hydrargyrij facultates 214. 10
Hydrargyrij inunctio qualis in Plica erit innoxia. 215. 20
Hydrargyrij inunctione Auctor plures iam deploratos integræ sanitati restituit. 214. 1
Hydrops leucophlegmatias quid 15. 10.

I

Icterus, quomodo momento temporis ab Empiricis curetur. 212. 5
Ieiuni hominis saliua uenenatorum antidotus. 116. 16
Illitiones pallati caput purgantes. 189. 28
Impellentia venenum medicamenta duplicia 213. 5
Impellētia externa duo sunt præcipua. ibid. 7
Impellentia interna. 216. 5
Infantiles morbi Pilaris & Vermicularis. 144. 4
Inflammabile, necessario est exhalabile. 128. 3
Inflammationes fiunt à sanguine. 72. 6
Intuitum maleficum multum posse ad animum immutandum perterrefaciendumque. 154. 31.
Inuiscatio a quo fiat. 19. 15
Inunctio Hydrargyri ex vngentium imperitia, quam ex medicamenti facultate periculosa. 213. 29
Ioachimus de Ocieszyno, Auctori quid de Plica retulerit. 13. 2
Ioannes Antonius Siccus Medicus Venetus de Tincæ viribus quid senserit. 212. 7
Ioannes Vrsinus Leopoliensis Auctori quid de Plica retulerit. 12. 25
Ioannes Vrsinus Leopoliensis Epistolam Illustrissimæ Matronæ Polonæ de plica Polonicè scriptam, Auctori Latinè interpretatus est. 168. 15
Ioannis Schenckij de plica obseruatio. 9. 6
Ioanni Thomæ Minadoo, Prof. Pat. Medendæ plicæ ratio ab Auctore excogitata, adeo placuit, vt eam Polonis persuadere nō dubitauerit. 170. 28
Iuuenum diuitum, intemperantium in Italiam venientium, descriptio. 157. 21

K

Kalfurnius Bestia, quo veneno vtebatur ad necandas

candas vxores. 105.28
Kol'eK Polonis quid 16.19
Kol'teK Roxolanis quid ibid.
Kol'tun quid Roxolanis significet ibid.

L

LAurentius Starnigelius, Rector Academiæ Zamoscienſis, de plica ad Patauinos Medicos ſcribit 2. 14
Locum quemq; affectum, propria ſequuntur ſymptomata. 79.23
Loca in Plica affecta, quæ ſint 89. 1
Loci in quibus plica affectorum excrementa colligũtur 80.20
Locorum diuerſitas multum valet ad immutandam morborum faciem 97. 11
Lotiones communes in plica, ęgros magis lædunt quam iuuant 241.18
Lotiones pro euocanda in pilos plicæ materia 171.10
Lotiones quales Auctor laudet poſt factam plicam. 208 10
Lues Morauica in qua claſſe morborum reponenda 31.5
Lues Venerea cum morbo Pocutienſi in tribus communicat. 85.1
Lues Venerea in qua claſſe morborum reponenda 31.5
Luis Gallicæ cauſſam eſſe ſidera, qui putauerunt 32.15
Luis Gallicæ dolores acerbiſſimi 85.15
Luis Venereæ ſubiectum proximum & immediatum. 83.4
Luis Venereæ ſubiectum mediatum 85.10
Luis Venereæ curatio petenda ex libro Auctoris de Lue Venerea. 190.13
Luem Venereã antiquam, quomodo Empiricus curabat. 212.15
Lutum S. Bartholomæi 232.14
Lutum S. Helenæ ib.33

M

MAlacenſem lapidem Auctor parui facit 223 17
Maleficæ in Roxolania vnde 47.32
Maleficę quæ ſunt dicendæ 153.27. & 154.11
Maleficæ quomodo cognoſcendæ 156. 5
Maleficas non raro in Polonia & Germania peſtem induxiſſe vnde Auctor cognouerit. 51. 5
Malefici ætate Commodi Imperatoris quantam peſtem concitauerant 50.4
Malefici reperiuntur in Roxolania 47. 21
Maleficium fit tribus modis ſenſui conſpicuis 156.5
Maleficium in omnes indiſtrimi nati

natim operatur 52. 26
Maleficia à Dæmonis potestate procedunt 50. 9
Maleficia Dæmonum, pilis oblectantur 44. 20
Maleficia in ridiculis & abominandis rebus cur esse soleãt. 50. 25
Maleficia posse esse causſam Plicæ vnde Auctor colligat. 42. 15
Maleficiorum naturas, differentias, causſas, & historias qui Auctores proposuerit 46. 30
Maleficiorum remedia, Auctor se scripturum pollicetur 52. 33
Maleficiorum signa qui Auctores proposuerint. 42. 26
Maleficiorum vim Galenus cognouit 46. 24
Maleficum intuitum ad animum immutandum perterrefaciendumque multum valere 154. 31
Marcus Antonius Vlmus Medicus Pat. librum de Physiologia pilorum, in suo de fine barbæ pollicetur. 134.
Margaritas inter cardiaca primas habere partes 248. 32
Masticatoria caput purgantia. 189. 20
Matthias Taranovvſki de Taranovvice Roxolanus, ab Auctore à Morbo Plicę sanatus 12. 33
Medicamenta benigniora in plica curanda, cur sint eligenda. 183. 26
Medicamenta deleteria calida, breui interficiunt, frigida longiori tempore, quædam vero in medicamenti vsum recipiũtur 63. 1
Medicamenta placidiora, vt plurimum melius purgare, quàm fortiora. 183. 22
Medici Poloni, plicæ varia quęsierunt & tentarunt remedia 6. 6
Medicina plicæ inuenta, Pataui nos Medicos illustrabit. 7. 16.
Medicinarum primi Auctores, in perpetuitvtis laude viuũt 7. 12
Medonem lędere bibonem, vulgare prouerbium 93. 15
Medonem siue Mulsam Sarmaticam non minus posse caput vaporibus replere, quàm merum ipsum 78. 4
Medonem siue Mulsam Sarmaticam posse fieri ab hoc tempore venenatam, à quo plica cœpit, vnde Auctor colligat 93. 5
Mel calidum & pingue 78. 7.
Mel Maniomenon in ponto. 94. 4
Mel venenatum esse, in insigni aeris humiditate 95. 20
Mellis venenati in Ponto, cui Podolia vicina est, Auctores

res grauissimi meminerunt. 93. 7
Melancholia Hypochondriaca quid 15. 5
Melancholiam lenientia 182. 15
Melancholiam præparantia. ibid. 16
Melancholiam purgantia ib. 24. & 186. 20
Melancholici cur pilosiores. 149. 11
Mentagra quid 17. 21
Minio Antidotus. 221. 19
Monocerotis cornu Auctor in hoc libro quomodo intelligi vult. 223. 25
Monocerotis cornu succedaneum 224. 4
Monocerota animalia sunt plurima 223. 25
Morbus endemius seu patrius 28. 3. & 4
Morbus causaliter frequenter fit in parte non viuente & quomodo 22. 1
Morbus in numero quid 22. 14
Morbus in parte abscisa fit causaliter in parte relicta formaliter ibid. 18
Morbus malignus spem salutis non admit 30. 30
Morbus semper fit in parte viuente formaliter, at causaliter fit frequenter in parte nō viuente. 21. 33
Morbus vulgaris quid 26. 30
Morbi epidemici quod est maximum argumentum 25. 26
Morbi caussa contentiua quæ 22. 30
Morbi caussa non contentiua quid 23. 4
Morbi forma quæ 22. 23
Morbum communem ex communi cibo & potu non semel fieri 57. 11
Morbo articulari quos minimè infestari Hippocrates dixerit 22. 31
Morbi Epidemici alij benigni, alij lethales 28. 10
Morbi communes seu vulgares aliam habent caussam, aliam verò sporadici. 23. 29
Morbi infantiles vide infantiles morbi
Morbi pestilentiales ex aere producti alij mortiferi, alij minimè interficientes, alij medij 62. 25
Morbi sporaditi neq; in genere neq; in specie sunt sibi similes 24. 22
Morbi sporadici quos apprehendant 25. 15
Morbi vulgares alij Endemij, alij Epidemici 28. 1
Morbi vulgares à sporaditis duabus præcipuè conditionibus distinguuntur 24. 4
Morbi vulgares in discrimination omnibus contingunt. 25. 6

Morbi vulgares vel in genere tantum similes, vel in specie, & qui 24.10
Morborum faciem, diuersitas locorum immutat 97.11
Morborum pestilentium causas, qui ad sidera retulerint. 32.7
Morborum vulgarium caussa vniuersalis 39.20
Morbis vnde nomina imponuntur 15.2
Morbos ex maleficio, Medici nō profligant, sed maiores & acerbiores reddunt. 43.1
Morbos nouos, aut raros, aut insignes, in cœlum referre multi solent, & cur 31.21
MORBVS CIRRORVM Erinacei circumligatione reuelatur 6.11
Morbus cirrorum purgationibus vsitatis magis ægrescit. 4.24
Morbus cirrorum quam habeat morborum syndromen 6.20
Morbus cirrorum quos præcipuè innadat 5.7
Morbi cirrorum cruciatus acerbissimi 5.4
Morbi cirrorum symptomata 4.10
Morbo cirrorum quidam liberantur, quidam intereunt 5.22.
MORBVS PILARIS vide Pilaris morbus.
Morsus venenatorum triplex discrimen 63.11
Mulieres barbatæ quæ 137.24
Mulieres Polonę, in claui criniū enuntiatione vtuntur amphibologia 16.3
Mulieres quare minus pilis abundent 148.31
Mulierum luxus ętate Senecę. 27.5
Mulo exenterato, quis assumti vim veneni superauerat. 206.29

N

NAsaria qualia Auctor suadeat 190.2
Natas (vel vt alij vocant Naptas) non minus internas quas externas esse, Auctor putat. 114.28
Natas i externis partibus duas Auctor vidit. 114.31
Nomina suis rebus sæpe conuenire. 16.26

O

OBstructiones uiscerum quibus superandæ. 183.6
Oculorum tunicæ, quæ, & vnde oriantur 103.11
Ophiasis fit ex humoribus salsis 72.2
Ophtalmiæ, quomodo fiant ex ueneno plicæ 103.8

P

PAnis ad æstuaria ab Auctore commendatur 209.17

Panis genera 219. 1
Pannonica pestilentia 95. 3
Paronychia quid 165. 29
Pediculari morbo qui interierint 70. 15
Pediculi alij legitimi & benigni; alij spurij & maligni. 68. 18.
Pediculi cur in plicæ morbo tantopere luxurient 71. 3
Pediculos benignos in plica esse, vnde Auctor supponat 68. 29.
Pediculorum causa efficiens, est calor triplex 71. 1
Pediculorum materia quæ 69. 3
de Pediculorum materia Arist. locum quomodo Auctor interpretatur ibid. 12
Pediculis cur frequenter pueri ac mulieres tentantur. 70. 27
Pestilens constitutio à peste quo distinguatur. 30. 25
Pestis quando cessat in Polonia 46. 20
Pestis quid 28. 29
Pestis sine contagio quando fuit 55. 28
Pharicum venenum à Cydonijs facultatem amittit 162. 28
Philosophi præcipui cur pauca de Astrologicis scripserint 38. 10
Pilæ odoratæ ad Fascinationes 160. 19
Pilaris morbus infantilis quid. 142. 31 & 143. 23
Pilaris morbi infantilis in Polonia curatio 143. 5
Pilaris morbi infantilis in Gallia curatio ibid.
Pilaris morbus in labro superiore 45. 19
Pilaris morbus in pede ibid. 18
Pili ad radices, cur adeo tenacem habeant humorem 138. 11.
Pili albi ex natiuitate vnde. 151. 12
Pili albi non ex pituita tantum 128. 20
Pili canini vel pili vermiũ quid 143. 15
Pili & semen ex eodem excremento fiunt sed diuersa ratione 133. 14
Pili formationem qui non necessario habeant. 252. 24
Pili quare tam facilè prodeant 149. 28
Pili sunt partes corporis ignobiles sed ortus sui causas inuentu difficiles habẽt. 125. 7
Pili in renibus vnde gignantur 139. 6
Pili in venis vnde gignantur 140. 2
Pili in mamillis unde gignantur 141. 9
Pili in mamillas potu non assumuntur ibid.
Pilos albos ex nigris vnica nocte aut die euadere posse 128. 28

Pilos ex sola foraminum angustia & cutis temperamento formari Auctor cur non recipiat 131. 25
Pilos ex sojo exacte vsto & fuliginoso excremento produci, pugnat cum ratione & experimento 127. 26
Pilos intra venas gigni posse 88. 10
Pilorum agglutinatio vel inuiscatio, est plica 18. 16
Pilorum agglutinationis vel inuiscationis causa quæ. 19. 13
Pilorum agglutinationem vel inuiscationem Mag. Acad. Zamosciësis Rector quomodo Oratoriè expressit 19. 1
pilorum causa efficiens ex vulgari opinione triplex 127 3
pilorum causa efficiens secundũ Auctorem 134. 15.
pilorum caussa materialis media ta & immediata ex vulgari opinione quæ sit 12 & 19 126.
pilorum causa materialis proxima secundum Auctorem quæ 133. 9
pilorum caussa materialis media ta secundum Auctorem q uæ 134. 2
pilorum colores 150. 1
pilorum figura 140. 11
pilorum flauorum, bilioſum succum materiam non esse. 130. 27.
ad pilorum generationem non necessario concurrere fuliginem aut fumum 128. 9
pilorum implicatio non est plica & cur 18. 22
pilorum intricatio non est plica ibid. 17
pilorum materiam a sola expultrice in pilos non propelli 132. 16
pilorum substantiam tribuit vapor pinguis, tincturam vero fuligo. 138. 30
pingue non solum de vnguinoso & adipali sed etiam de omni dulci dici 78. 15
pituitam lenientia. 18. 1
pituitam præparantia ibid. 5
pituitam purgantia ibid. 8
pityriasis quid 67. 18
planetarum copulæ triplices. 37. 21.
plica affectus nouus, & quomodo 1. 11
plica aliquando sponte sua accedit, aliquando arte 11. 32
plica aspectu, Gorgoneum caput præfert 9. 24
plica capitis & barbæ 9. 34
plica cum Arthritide quo communicat 7. 1
plica cum Gallica lue quo communicat 6. 23
plica cum phthiriasi quo conueniat ibid.
plica cum porrigine quam affinitatem habeat ibid.

plica cum spasmo quo communicat. 7. 2
plica cur a Polonis dicatur clauus crinium 17. 14
plica duplex simplex, & coniuncta cum Gallico 153. 15
plica fascinatione facta quomodo cognoscenda 154. 8
plica fit in omnibus pilis 19. 10
plica in Germania quo anno cœpit 11. 2
plica in Pocutio superstitiosa curatione quàm primum curatur 45. 32
plica in quibus Germanice partibus fit 10. 19
plica lædit vsum pilorum 21. 3. & 18
plica morbus epidemicus & communis 28. 9. & quare 96. 22.
plica morbus figurę 20. 17
plica morbus malignus 28. 17
plica morbus malignus, pestilens, non tamen necessario interficiens 31. 9. & 64. 16
plica non est affectus nouus & quomodo 8. 14
plica non est Sarmatis peculiaris affectus. 8. 16. & 10. 30
plica non est sordiciei soboles 13. 10
plica nouus morbus Polonis. 3. 15.
plica nunc primum per vniuersam ferè Poloniam graßatur 1. 20
plica per quasdam Germaniæ partes diuagatur ibid. 21
plica quales torqueat 13. 16
plica quare Morbus cirrorum dicitur in litteris Mag. Rectoris Zamoscienſis 16. 12.
plicæ symptomatũ insignem contrarietatem habet. 29. 25
plica triplex mas, femina, filia 11. 20.
plica veneficio facta quomodo cognoscenda 154. 25
plicę arcendę tria sunt præcipua 233. 25
plicæ causſa proxima, viscida ac glutinosa substantia. 19. 13 & 71. 17
plicę causßa vniuersalis aeris vitium. 39. 22. & 92. 4
plicę causßa vniuersalis est lues Venerea, non tamen communis. 56. 10. & 96. 29
plicę causßæ vnde sumendæ. 31. 16
plicæ causſę vniuersales præcipuę. 56. 7. & 96. 22
Plicę cruciatus confertim inuadunt 12. 16
plicæ dolores acerbissimi. 85. 15
plicæ dolores quales 170. 8
plicæ dolores tollendi sunt anodynis 231. 15
plicæ dolorum articularium quæ causſa proxima & quæ secundaria 101. 23
plicæ facies duplex 164. 6
plicæ forma 9. 22. & 20. 9

plicæ genus proximum est agglutinatio seu inuiscatio. 18. 15
plicę historia 3. 22
plicæ historiam Auctor vnde cognouit 2. 2
plicę instrumentum 85. 22
plicę malignitatis signa 29. 21
plicæ materia proxima & immediata vapor 83. 24
plicæ materia mediata, sanguinis pars pinguis oleosa, ex qua fit semen 85. 8
plicæ materia quo pacto in pilos deducenda sit 171. 12
plicæ medendi ratio ab Auctore proposita est dogmatica. 165. 23.
est maximè præsentanea. 166. 20.
est tutta *ibid.* 14
est vtilis *ibid.* 12
plicæ medendi ratio ante capillorum implicationem 171. 2
plicæ medendi ratio post capillorum implicationem 173. 5
plicæ medendi ratio in quo consistat. 165. 16
plicæ medendi summa difficultas 3. 16. & 5. 1
plicę nomen cur Auctori magis placuerit quam cetera huius morbis nomina 17. 27
plicæ nomine, quid Auctor audiri vult. 18. 2
plicæ nomina Germanica. 10. 23
plicæ nomina Sarmatica. 15. 25
plicæ genericæ & uniuersalis definitio. 98. 27
plicę pro pilorum affectu acceptæ definitio 18. 11
plicæ proprietates 96. 1
plicæ quasi regia sunt pili. 44. 15.
plicę remedia molliëtia. 171. 22
poros & meatus purgantia 172. 8
Rarefacientia 171. 32
plicæ spasmi quo tollendi. 331. 26.
plicæ subiectum sunt pili omnes longiores 19. 11
plicæ vniuersalis & genericæ subiectum principale. 99. 14
proximum & adæquatum *ibid.* 11
plicæ venenata qualitas in aere nulla est aut præfuit & quare. 40. 3
Plicę uenenum, quomodo sit caussa tot morborum & symptomatum 106. 14
plicam affectionum comitantiũ, quædam habent effectiuam caussa plicę, quædam alios obtinent humores. *ibid.* 1.
plicam ad symptoma qualitatis mutatæ atq; excrementorum referri posse. 20. 10
plicam anus venefica VVratislauiæ fecit cuidam mulieri 44. 5
plicam, cur Morbum cirrorum aut Cirragram non libenter Auctor dixerit 16. 10

plicam exteris pro ſuo arbitratu vocare Auctor concedit. 17. 33.
plicam ex veneficijs fieri, apud quos opinio increbuerit. 48. 20.
plicam in Germaniæ & Vngariæ partibus eſſe vnde Auctor didicerit 8. 21
plicam non eſſe contagioſum ad diſtans 55. 19
neq; per contactum. ibid. 11
neq; per fomitem ibid. 5
plicam non eße Gallicum Polonorum, vnde Auctor comprobet. 54. 15
plicam quare Germani non abſcindant. 9. 30
plicam quare poſt adhibita præſcripta remedia Auctor præſcindere ſuadeat 230. 15
plica ſublata, depilatæ partes aeri frigido non ſunt exponenda 204. 8
plica ſuperueniente cruciatus corporis minui 12. 12
à plica præſeruantia 233. 25. & 243. 20
ex plica vulgari quomodo eßet ſporadica 158. 30
in plica quæ ſint loca affecta 79. 30
Plicagra, vt Cirragra, impropria plicæ appellatio 17. 17
Pocutium Prouincia Regni Poloniæ 3. 23
podagra morbus popularis vbi fuit. 26. 11
pohanka Bohemorum quid peritionibus Herbarijs 201. 3
Polonia multis atq; maximis ſiluis larignis abūdat. 181. 14
Poloni Coronatos, Marcas vocant. 223. 3
Poloni multis cibis vtūtur. 76 14.
Poloni natura equos amant. 207. 2
Poloni plurimi vinabibunt meraciſſima 77. 20
Poloni qui Syropis non libenter vtuntur, quomodo purgandi 185. 17
Polonorum corpora, abtundare pingui, oleoſo acri, & ſalſo humidoq; vapore, tum fumo & fuligine quibus Auctor demonſtret 76. 9. & 79. 8.
Polonorum domus vna, plus conſumit arromatum, quàm decem Italorum 78. 30
Polonorum ruſtici, aquæ ardentis, integra vitra haurire ſolent 78. 22
Polonos Auctor exhortatur, vt breuiores gerant capillos ad euitandam plicam 241. 32
pori & meatus cutis, non fiunt à natura, ſed effinguntur à ſubſtantia exitum quærente 131. 30
porrigo capitis in Polonia vulgo Tinea dicitur 5. 13. & 67. 21

præcipitatum est argentum viuum præparatum. 219. 32
præcipitati præparandi rationem Antonij Galli Auctor commendat 219. 26
problemata egregia de plica ab Auctore proponuntur & soluuntur 121. 3
Prosper Alpinus de scarificatione antiquorum legitima. 176. 33.
prouidentia totius corporis in plica post complicationem crinium, est necessaria 174. 13
prouidentiam totius corporis ante pilorum complicationem prætermittenda 166. 29
psilothrum quid. 202. 14.
psilothrum commune 203. 10
psilothrum compositum bid. 25
psilothri vsum quare Auctor facta iam plica patientibus suadeat 202. 12
psilothro & ferro crines auferre multum inter se distare, & quare ibid. 21
psydracia ex humorum varia mixtione fiunt. 72. 8
pubertatis ætate, cur genæ & pubes pilis vestiantur. 138. 5
Pudendagra quid 15. 13
pulicum materia quæ 70. 3
putredo excellens non necessario veneni causa 109. 25
putredinis varij gradus. 108. 12.

Q

Quatuor causſæ propter quas pili fuliginem amittunt 150. 21
Quatuor vel quinque causſæ propter quas cum albis pilis quidam nascuntur 151. 12
Quare Melancholici pilosiores, cum sint emaciati? 149. 11
Quare Mulieres, Pueri, Viri humidiores ac pinguiores minus pilis abundent 148. 31
Quare pilorum alij nigri, alij albi, alij medio colore infecti? 150. 21.
Quare spadones plerique imberbes, si materia pilorum est seminalis. 249. 16
Qui pili non necessario facultatem formatricem habeant? 252. 25
Quomodo pili tam facilè prodeant, cum ex pingui materia fiant? 149. 28

R

Regnum Poloniæ amplissimum 7. 7
Retrocessiones humorum sæpe fieri ex vsu purgantium. 169. 14.
Rhamnus tertius valuis fenestrisue impositus veneficia tollit auctore Dioscoride. 162. 16

S

*S*Anguinis feruorem restinguentia. 185.4
Sanguinis oleosi partem ex qua semen fit, cur ad venenatam qualitatem disponatur. 85.30
Sanguinis missio, vide Venæ sectio.
Sagæ quomodo deprehendantur vide Maleficæ.
Sapo ad dolores plicæ qualis. 208.19
Scarificationis nomine Auctor quid intelligat. 176.30
Scarificationem crurum in morbis venenatis prodesse ib. 25
Scelotyrbe quid 57.26
Scilla herba cur super liminaria domus suspendatur. 161.30
Scorbutus morbus pestilens. 31.5 & 96. 3
Scorbutus naturam aliam apud alios habere videtur. 96.26
Scorbutus quibus æmuletur plicam Sarmaticam 96.30
Scorpij in Polonia non gignuntur 196.28
Scorzoneræ Hispanicæ aqua probatur 224.18
Sorzoneræ radicem saccharo conditam, apud quem Auctor degustauit 224.24
Senes cur ab Italis vulgo Muffidi dicantur 129.25
Sidera, morborum nouorum aut insignium caussam esse, cur Auctor minimè velit. 32.29
Signa Plicæ coniunctæ. 157.4
Signa plicæ fascinatione factæ. 154.26
Signa plicæ simplicis. 156.33
Signa plicæ veneficio factæ. 154. 8
Sireum quid 78.17
Sl'ouacius Acad. Cracouiensis Mathematicus & Medicus quid de plica interrogatus dixerit 88.30
Smaragdi vires Auctori experienti nō respōdebāt. 222.23
Smegma attractorium. 204.31
Spadones pleriq; quare imberbes 149.16
Spasmi caussæ vel conuulsio.
Sphondylium est Barszcz Roxolanorum 11.34
Sphondylij facultates. 121.30
Spongiæ nouæ decoctis imbutæ insēsibiliter euacuāt. 211.13
Stomacace quid 57.26 & 96.5
Succi praui vel sunt ichores vel humores. 71.26
Sudor fit ex ichoribus sub propria forma remanentibus. 71.30
Sudores præter naturam qui. 82.12
Sudorifica febris Britannica in qua classe morborum reponenda. 31.2.
quo anno cœpit. 94.31
Suffumigia ad fascinationes. 161.12
Suffumigia ad plicam. 232.18

Suffumigia deleteria & benigna Auctor in libro de lue Venerea explicat. 213. 8
Sycoses ex humorum varia mixtione fiunt. 72.8
Synapismata capiti vbi imponenda 194.31

T

Tarantulæ antidotus. 221
Tatarka Polonorum quid peritioribus Herbarijs. 201.2
Thermæ Lastrenses 228.24
Thermæ Patauinę, Virginis & Tegulæ vocatæ. ibid.
Thibij Pōti acolæ quales 155.9
Tinca Polonis quomodo dicatur. 212. 3
Tincæ vires ibid.4
Tineam quem Morbum vulgus in Polonia nominat. 67.21
Tineę Italorum Assaphati sic cum Arabibus dictę, vnde fiant 72.5
Transpiratio insensibilis fit ex vaporibus 71.8
Tricæ incuborum quid. 9.8
Tussis popularis Europęa. 93.21

V

Vapor à fuligine & fumo differt forma, subiecto proximo, caussis efficientibus. 74. 25
Vapor in genere quid 73. 14
Vaporis in specie materia quæ. 75. 26
Vaporis pinguis quomodo ad suscipiendam veneni formam disponatur. 84.28
Venæ sectio in plica quando conuenit 184. 30. *& quo loco* 175. 1
Veneficæ quomodo deprehendantur. 156 5
Veneficę Romanæ pestem excitarunt 48.14
Veneficæ Roxolanæ, vide Maleficæ.
Veneficæ substantiæ tot esse proprietates quot sunt partes corporis similares & dissimilares. 63.27.&105.12
Venenata qualitas in aere vnde fiat. 40.5
Venenata animalia in certa sui parte corporis venenum habere. 123.22
Venenatum quid auctor intelligat, dum plicam dicit venenatam 39. 25
Venenati non omnes repentè moriuntur. 29.13
Venenum quid 116. 29
Venenum internum & externũ quomodo differant in attractione humorum. 100. 21
Venenum Plicæ quod immediatum subiectũ habeat 65.10
Venenum plicæ quomodo agat. 85.15.& 96.5
Venenum plicæ quomodo alios humores

humores attrahat. 100.14
Venenum plicę quomodo conueniat cum morsibus venenatis & ab ijs discrepet. 174.3
Venenũ pulmones lędens. 206.2
Venenum quomodo possit esse sine contagio. 107.2
Venenum Sarmaticum cum corde non necessario antipathiam habere. 106.4
Venenum soporiferum. 105.25
Venenũ vesicam lædens. 106.2
Venenum vtero inimicum. 105. 28
Veneni causę efficientes mediatæ 84.26
Veneni curandi ratio. 167.5
Veneni essentia, seu forma substantialis ignota. 84.24
Veneni signa quę 29.6
Veneni subiecta quæ. 64.27
Veneni plicæ efficiens mediata caussa est vaporis pinguis substantia. 84.10
Veneni plicæ formam in vapore acri & salso, vnctuoso & pingui, primo ac per se introduci: per communicationem verò in fuligine & fumo 83.20
Veneni plicæ proprietates quibus partibus corporis contrariæ, quibus familiares. 96.1
Venenum ad tempus dari posse. 129. 2
Venenum amatorium Cleopatra M. Antonio dedit. 105.20
Venenum attrahentia inter corpus & venenum media esse debere. 193. 1
Venenum conuulsorium dari. 105. 26
Venenum debilitans Olympias priuigno Aridæo dedit. ibid. 23
Venenum diu in corpore latere posse. 123. 2
Venenum in humanis corporibus gigni posse. 58.20
Venenũ in humanis corporibus produci non posse absq; aliqua putredinis vel corruptionis specie, quæ tamen non desinat in elementa. 83. 26
Venenum Maniacum Cæsonia vxor Caligulę marito dedit. 105. 22
Venenum non omne habere ęquales interficiẽdi vires. 106.10
Venenum non omnia corpora humana eodem modo suscipiunt ibid. 16.
Venenum Plicæ, quid Auctor esse putet 99. 28
Venena quomodo curentur in genere. 190. 28
Venenorum differentiæ à partibus desumtæ. 63. 16
Venenorum differentiæ à priuatis actionibus desũtæ. ib. 19
Venenorum genera quatuor Gal. constituit. 59.22
Venena bina cum fata volunt, iuuare. 220.2
Venena intra corpus quando minime

nime deleteria produci 62.9 & quare 63.26
Venena plerumq; euadere medicamenta 106.11
Venena quæ corpori in quo generantur noxia non sunt, nullã in se putredinem habere. 115.27
Venena quę corpori in quo generantur, noxia sunt habere in se putredinem, variam tamen, ratione materiæ, modi, & gradus putredinis. ib.20
Venti qui salubres, qui non 234.14
Verborum, aliquam agendi vim habentium genera tria. 155.29
Vesicantia medicamenta Auctor descripsit in libro de Phœnigmis. 194.6
Vesicantia in plica qualia ab Auctore probantur. 194.21
Vesicantia simplicia. 196.10
Victus ratio potest parare nouos, & veteres reuocare morbos 58.15
Villosa in modum canis corpora qui viderunt 82.6
Vitię familiæ in Scythia quæ. 155.5
Vinum adustum, ex fęcibus Creuisiæ 43.29
Vinum, multum posse ad calidos & fuliginosos vapores inducendos 72.24
Vinum pinguedine non carere. 77.30
Virus & virulentia quid. 28.27
Vomitoria in duplici differentia 177.25
Vomitoria in veneno Sarmatico cur fortiora nunquam eligenda 179.21
Vomitorijs quando vtendũ & quibus. ib.15
Vomitus diuturnus cuiusdam Monialis Patauinæ. 64.6
Vrgentis rationem in Plica quæ habeant. 165.8
Vrsibrancę decocti vsus in morbo cirrorum. 5.16
Vrsibrancam quid vocent Officinæ Polonæ. 12.20
Vrsuli, vermes hirsuti in Polonia, non sunt scorpij. 196.32

X

Xiphilinus veneficium humanitus inuentum descripsit in vita Commodi Imperatoris. 50.2

Z

Zamosciensis Academiæ Rector, litteras mittit ad Patauinæ Academie Medicos vt Deliberatio instituatur de Morbo Cirrorum. 2.25
Zamosciensis Academiæ Rector, de

INDEX.

de Morbo cirrorum à Medicis Pat. tria scire vult. 3. 19
Zamosciensis Academię Rector, quid intellexerit, cum scripserit Morbum cirrorum infringere ossa. 101. 26
Zodiaci signa quadruplicia. 31. 24.

FINIS.

Errata potiora sic corrigito.

in præfatione explicatum.	explicatum, cuiusmodi
Eiusmodi	
Pag. 17. dmilitudinem	similitudinem
ibidem qui	quiq;
20. nolo	volo
21. immutatum	mutatum
22. reluc̃ta	relic̃ta
27. libidinæ	libidine
27. proponiet	proponat
37. senietas.	serenitas
45. hanc confirmandam	Hoc confirmandum
60. vt si	vt sic
70. vespes.	vespæ
ibidem scillo	syllæ
74. sæbo	seuo
123. Agellio	A. Gellio
124. totum	totam
136. ad productionem; ad augumentum uero	ad productionem uero & augumentum
ibi. emaciati	emaciata
143. abscessus genus rarum mihi nunc in memoriã reuoco	dele omnia

144. Lenonelli	Leonelli
146. aut	autem
155. ſchiti	ſchitia
159. ambigendas	abigendas
167. & 19.	dele
171. porros	poros
213. deteſtator	deteſtor
218. quæq;	quæ
220. recipia	recipiat
222. hunc	hanc
ibid. pruriores	puriores
226. maxima	maxime
236. decent: at.	decent. At
246. refertum eſt	refertus eſt

HERCVLIS SAXONIA PATAVINI PRACTICAM ORDINARIAM

IN EODEM PATAVINO Gymnasio Florentissimo profitentis.

DE PLICA.

CAPVT I.

HISTORIAE ENARATIO.

DICTVRO mihi de Affectu nouo, maximo, cũctisq; futuris seculis memorando; nouo, inquam nomine, genere proximo, ac remoto, parte, generationis modo, tempore, symptomatum, ac morborum syndrome, regione, ac populo, caussis, demum curatione; nunc primum per vniuersam ferè Poloniam grassante, imo verò per quasdam Germaniæ partes diuagan

te: visum est non à ratione alienum, ante omnia casus historiam referre, partim ex scripto, partim verò ex aliorum relatione, ac propria quadam ob seruatione contextam; vt ij apud quos nec nomen quidem affectionis hucusque peruenit, nostraque hæc quæ in progressu operis dicturi sumus visuri sunt; non putent figmenta esse, nugas, aut somnia: sed cuncta tanquam verissima atq; indubitata recipiant, vt potè multiplici, ac veridico grauissimorum hominum testimonio confirmata, quinimo, ipsa rei euidentia, ac quotidiano experimento comprobata. Quanquam autem totius historiæ fundamentum ex Epistola Magnifici & Excellentiss. D. Laurentij Starnigelij Academiæ Zamoscensis Rectoris, & in eadem Artis dicendi Professoris meritissimi, ad publicos Patauienses Medicinæ Professores missa colligi posse videatur; vt propterea hanc, prout est, ante omnia imprimi curauerimus: attamen cum in illa quędam, desiderari cognoscamus, quæ nos ipsi, partim propria obseruatione collecta, partim verò ab alijs accepta, silentio minimè prærereunda esse duximus; iddirco post litterarum exemplar impressum, ea omnia libenti animo super addere non grauabimur. Tenor itaque litterarum Zamoscensium, talis est.

Excell:

Excellentes & Magnifici domini amici charis^mi & obser.

Pro coniunctione ea, qua nobis in vltima Sarmatia versantibus, propter optimarum artium commune vinculum cum Excell: & mag: D. V. intercedit, nouella Zamoscen. Academia Rector, scribendum esse duxi, ad Excell: & mag: D. V. vetustate quidem & prastantia, nobilissima Academia Patauina, claros, eruditione tamen ac vsu maiores & clariores. Caussam autem scribendi attulit mihi, nouitas apud nos morbi & summa eius medendi difficultas. Peto, vt epistolam hanc meam & legant beneuolè, et lecta consilium iudiciumq; suum, amicè perscribant. Qualè morbum existiment: qua pracepta dent: cuiusmodi medicinam faciendam putẽt eius depellendi. Res ita habet. Inter Vngariam, & Pocutium, prouinciam Regni Polonia, qua montibus, ex qui-

bus fluuij complures erumpunt, inter-se distinctæ sunt, eueniebat, vt plerisq; hominibus, vnus & alter cirrus excresceret, cum vicinis sibi crinibus, in se introrsus implicatus & densus. Et tum quidem, nulla re molestus erat. Nunc serpere cœpit is morbus, & latè per totum Regnum Poloniæ, magno omnium malo, magnoq; cruciatu diuagatur. Infringit ossa: laxat artus: vertebras eorum infestat: membra conglobat acre torquet: Gibbos efficit: Pediculos fundit; caputq; alijs atq; alijs succedentibus ita opplet, vt nequaquam purgari possit. Si cinni radantur, humor ille & virus, in corpus relabitur, & affectos, vt supra scriptum est, torquet: caput, pedes, manus, omnes artus, omnes iuncturas, omnes corporis partes exagitat. Expertum est, qui tales fasciculos, implicatorum perarctè inter se crinium, deraserint, eos oculis capi: aut defluxibus, ad alias partes corporis, grauissimè torqueri. Purgationibus vsitatis

tis si illi medeare, ægrescit & exsuperat magis, quod noxios humores, nequeat superare purgatio, sed commotos, per totum corpus dispergat: tanto enim dolore omnium deinceps membrorum, hac affecti peste ardēt, vt ad cruciatus acerbitatem nihil possit esse acrius. Maximam partem feminas inuadit: viros etiam, qui Gallicum in morbum propendent: tum liberos ab his procreatos, qui lue Gallica fuerant infecti. Eos etiam, qui porriginem capitis, quam vulgus tineam vocat, medicamentis repercutientibus repressērunt: præterea feminas, quæ menstruis temporibus, non satis purgātur. Quarum quædam, dum in ætate adolescentiore fluxum sanguinis, per nares, menstruo modico, nimis profusum, identidem habuissent, ætate prouectiore, eo fluxu per nares cessante, in ipsum morbum cirrorum delapsæ sūt. Quidam quanquam perrari, cum aliquot annis, hoc genere morbi, cruciati exagitatiq; fuissent, nec caput rasissent,

ue-

vexationemq; eius omnem, et pædorem et ſpurcitiem, non ſine ſumma moleſtia, et nauſea penè intollerabili pertuliſſent, tandem virulentis illis cirris decidentibus conualuere; maxima tamen pars perit. Quæſita ſunt et tentata, varia genera remediorum, ſed nullum eſt ſatis idoneum adhuc repertum: Quæſita etiam vis et natura morbi, & cauſſa: ſed ne de hac quidem, etiamnum quidquam liquet. Homines agreſtes, Erinacei diſcerpti circumligatione releuari compererunt: & ad auertendum penitus morbum, ex Eritio ipſo eſcam ſibi conficiunt; ſed ne hoc quidem tanti eſt. Lotionem præterea ſibi parant, ex decoctione foliorum Vrſibranca, qua cum abluunt caput, cirri, de quibus eſt ſuprascriptum, erumpunt, magnaq; vis pediculorum. Cum exhalatione fuliginoſa, ex qua naſcuntur crines, cõmunicat, videturq; cum tinea affinitatem habere, atq; cruciatu oſſium, cum Gallica lue: cum Phtiriaſi redundatione vermium:

cum

cum Arthritide, artuum dolore: cum Spasmo contractione miserabili membrorum. Vt nihil aliud dicam, Eccell: & mag: D. V. hoc in genere artis, eruditi & sapientes, facilè colligunt, quàm necessaria sit hæc deliberatio: & quanto beneficio amplissimum Regnum Poloniæ sibi obstriget, cum eiusmodi virosæ pesti, qua violentissimè diuexatur, solerti suo ingenio, remedium præsens inuestigauerint, inuentumq; litteris mandarint. Multi variarum medicinarum primi auctores, in perpetuitatis laude viuunt, huius medicinæ ab Excell: & mag: D. V. inuentæ gloria, vestra propria erit, vos illustrabit, & cum omni, consequentis posteritatis ætate florescet. Exspecto humanissimum responsum; Sed si minus, quàm par est, neque verbis, quibus opus fuit, morbi uim expressi, peto ignoscant Excell: & mag. D. V. homini alio artis in genere versanti. Adumbratio quædam hæc morbi est; interiora illius, acri, ingenij

ſui, acie Excell: & mag: D. Veſtra diſpiciant et contemplentur. Benè valere Excell: & mag. D.V. opto Zamoſcij die vltima menſis octobris. Anno Domini M.D.XCIX.

Excellentium & Magnificarum D. V.

addictiſſimus amicus & ſeruitor

Laurentius Starnigelius, Rector Academiæ Zamoſcien. & artis dicendi Profeſſor.

Elegantiſſimè profectò, atque eruditè admodum potiora nobis in hiſce literis ſunt expoſita, quæ ad preſentem rem pertinent: quę vero nos eſſe adiuncturos polliciti ſumus, hæc ſunt. Imprimis autem Affectum iſtum, qui in Polonia vſq; adeo nouus exiſtimatur, ac proprius; nouum non eſſe; aut illis peculiarē, cōſtanter affirmo. Qui illū in Heluetia, Alſatia, Briſgoia nonnulliſq; Belgiæ partibus ad Rhenum degentibus, frequenter, & in multis graſſari, in reliquis vero Germaniæ atq; Vngariæ partibus, aliquando, tametſi rarius & in paucis conſpici; Iam multiplici Germanorum, atque Vngarorum teſtimonio, nunc Patauij ſtudiorum gratia degentium conſecutus ſum, mihiq; omnium maximè confirmatum, à Perilluſtri & nobiliſſimo D. D. Andrea Naruſzevvic de Kupiſzki, Nationum Poloniæ Conſiliario meritiſſimo, teſte alioquin huius rei fideliſſimo, ſumma cum ſua admiratione,

ne, Affectionem hanc Poloniæ propriam existimatam, apud Heluetios, atq; alias prædictas nationes, non semel contemplante. Quibus omnibus publicum accedit Ioan. Georg. Schenckij à Grafenberg testimonium, quod primo libro Obseruationum de Capite Ioan. Schenckii Patris hunc in modum habet.

DE TRICIS INCVBORVM

OBSERVATIO XIII.

Nouum, veteribusq; indictum horridi & intricati capillitij, tum barbæ genus, difficilium quorundam cap. morborum argumentum.

HOrridum quoddã, impexum, adeoq; intricatum capitis atq; barbæ capillitium apud nostros haud infrequens, ceterum veteribus, cuiuscunq; ætatis Medicis incognitum obseruare licet, quo affecti prælongas capillorum tricas & cincinnos, mirificè intricatos, digiti sçpe crassitie, ex reliquo capitis & barbæ capillitio, ad humeres, pectus, & aliquando ad vmbilicum vsq; demissos, propendere videas, aspectu planè horrifico, & Gorgoneum caput præferente. Quos illi magna religione, prorsus incultos, nec ferro præscindere, nec pectine explicare sustinent. Persuasi omnino grauissima capitis morborum fomenta, velut Apoplexię, Paralyseos, Maniæ, & cumprimis Cæphalalgiæ pertinacis, consimiliumq; materiam ijsdem alendis absumi. Qua siue superstitione, siue multa hominum obseruatione ducti, quiduis potius, quàm eorundem culturam aut præsectionem, velut prorsus infaustam & lethalem, admittunt; factisq; de experimento & historia periculis, sententiam suam mordicus tuentur. Qui ex his elegantiores haberi volunt, tricas huiusmodi, capitis quidem intra pileum, barbæ verò subtus pectorale conuolutos prius recondunt, ne conspiciantur. Alij verò, etiam inter congressus publicos, nec si cælare velint, possunt: nec si possunt, volunt. Adeo & gestantium & conspicientium animis in

dubitata fide insedit, vt citra opprobrium, aut vituperium, velut rem maximè ad vitam sustinendam necessariam, conspiciendos sinant. Sed enim quosdam per vniuersum vitæ suę cursum eo modo aluisse, adnotatum est: sperantes sese à difficillimis impendentibusq; sibi morbis vindicari posse. Sunt qui ad eosdem subnatos, nunquam vbi inuiolatos custodiuissent, recidiuam se passos fuisse constanter affirment. Vulgus etiam, si in tales incidere contingat, statim de occulto, aut latente atq; difficili aliquo capitis malo eosdem suspectos habet. Qua in re num superstitio experientiam, an verò experientia superstitionem conuincat, ad iudicium meum nunc non reuoco. Ego certè, vt nihil dissimulem, vt in vulgi sententiam propendo: ita seminarium huiusmodi morborum, non tam inde argui, quam ali, atq; ne inuadant, hoc modo præueniri posse, de pilorum generationis caussis, euentibus, & curationibus, recepta Medicorum sententia, doceri posse, accedente, quæ ex vulgo constat, & quasi per manus tradita est, attestatione, sentio. Europæis aliis innotuisse hoc capillorum vitium nondum comperi: vt nec plerisq; Germaniæ partibus omnibus. Brisgois, Alsatis, Belgis, nonnullisq; Rheni tractibus, quasi endemium, & popello nostro notum est satis. Ciues hic ipsi nouimus supra triginta, quorum aliqui vel hodie quoq; supersunt, hoc capillitio insignes. Vulgus MARENFLECHT, MAREN VVIRCKVNG & SCHROTTLINSZZAPFF quasi dicas contorsiones pilorum, vel incuborum tricas, seu cincinnos, vocat. quod putet Incubos & Faunos noctu eosdem sugendo tractare. Alij MARENLOCK hoc est Scrofarum tricas nominant, quod his similes à scrofarum collo enatas, & propendentes aliquando obseruent. Io Georgius, Schenckij Sen. Med. F.

Ex his sicuti iam certo certiùs est, non esse hunc vnius tantum Poloniæ morbum, imo verò alijs quoq; partibus communem. Ita de loco, & tempore, vbi & quando primum inceperit nihil certi habeo. Hoc quidem scio, in Maiori Polonia nũc primum tantum huius mali semina pululasse. In Podolia verò non vltra annos viginti. In Pocu-

tio

tio autem multo quidem antea, sed incerto tempore, cum tamen de Germania indubiè affirmare possim, Anno 1564. vsq; adeo notum fuisse, vt iam antiquior existimaretur. Id autem colligo ex Ioannis Stadleri Med. obseruatione, quæ in hunc modum se habet.

In memoriam mihi reuocas nobilem Casp. ab Hornstein, Commendatoris SIGISMVNDI in Alsatia, Burgundia Prouintialis piè defunctum fratrem, quem cum Commendator ob impexam, contortam & inexplicabilem barbam, quam horrificam præseferebat, aliquando acriùs reprehenderet, suaq; à mensa, virum 50. circiter annos natum, nisi eam præcideret, removendum minitaretur; non tam mensa priuari, quam aula excedere velle (liberè tum respondit) inexplicabili planeq; Gorgonea, quàm sua barba carere velit. Accidit hoc Anno humanit. Iouæ 1564. cum Friburgi Alschusam, ob pestem concederem.

Vtcunq; res habeat, magnum non continet ad rem nostram momentum; pluris facienda sunt, quæ subiungo, litteris non data. Plicam esse duplicem, imo apud alios triplicem. MAREM vnam, maribus contingentem, in qua capilli, & barba in spicarum modum complicãtur. FEMINAM alteram, quæ mulieribus eueniat, in qua omnes capilli in vnicam conglomerentur massam illis non dissimilem quibus onerariæ vtuntur naues. Tertiam nonnulli FILIAM appellant, in qua vngues tamdiu dolore & contorsione vexantur, quamdiu capillorum cæperit implicatio, quam audio quibusdam vnica fieri nocte, maiori autem ex parte tribus, quatuor aut pluribus. Et aliquando quidem sponte sua accedit, nonnunquã verò arte quadam adhibita, scilicet lotione capitis ex decocto sphondylij, qđ sua lingua BARSZCZ,

Officinæ, Brunfelsij, & Tragi, & Germanorum ceterorum errore seductæ, Vrsibrancam vocant: aut lixiuio fabis alterato, aut intermissa capitis lotione, ac pilorum cultu, longaque nutrita coma. Contingit autem aliquando, nullo aut exili præcedente morbo, vt plurimum verò præcedentibus morbis ac symptomatis relatis. Quodsi quis piam iam diu his vexatus, partem tantũ capillorũ intactam relinquat, ceteris interim lotis ac cultis: facti cogitur pœnitere. Quanquam enim in incomta illorum capillorum parte inuolutio succedat, atque pro tempore cruciatus omnes corporis minuantur: paucis tamen post mensibus relicto in corpore fomite, recrudescit morbus, non antea finem habiturus, quàm capillos omnes implicauerit. Neq; vero hæc vsq; adeo grauia & molesta sensim aut paulatim inuadunt, sed confestim magnoque cum impetu, ac lethalibus quandoq; symptomatibus; vt propterea ĩ primo ipsius morbi insultu patientes, etsi iuuenes & validi sint, illicò tamen imbecilles, tremuli, pallidi, deinde liuidi, atque exsangues reddãtur, vt iam iam morituros crederes. Hæc quanquam in Epistola minimè contineantur: audacter tamen proferre non dubitaui, cum omnia a Viris fide dignissimis habuerim. Quædam ab Excell. D. Ioan. Vrsino Leopolienſe, Academiæ Zamoscen. Professore Publico, Illustrissimi Regni Pol. Cancellarij alumno, Viro sanè acri iudicio donato, & in noua hac Affectione inquirenda atq; indaganda valde diligenti & curioso: Non nulla à Perillustri D. Matthia Taranovvsĸi, de Taranovvice Roxolano quem hoc affectu laborantẽ, proximis superioribus Mensibus, præcisa manibus

pro-

proprijs Plica, ſumma cum felicitate Dei Opt. Max. auxilio ſanauimus. Plurima vero ab Illuſtriſſ: D. D. Ioachimo de Ocieſno, Olſtinenſi &c. Capitaneo, quem olim hoc morbo vexatum, dũ hæc cogitaremus per Patauiũ Romam tranſeuntẽ, in proprio hoſpitio conuenimus, atq; ab eo humaniſſimè excepti, diligentiſſimè ſuper hac re interrogauimus, & eorum omnium quæ antea diximus, certam relationem, atq; indubiam atteſtationem habuimus. Vt propterea debeat iam vnuſquiſq; certo arbitrari, non eſſe Affectionem iſtam (quod tamen video multos credidiſſe) vniuſ ſordidiei ſobolem, atque ideo plebeios tantum, ruſticos, ſpurcos incomtoſq; homines, in fœno, vel alia re ſimili dormientes vexare, quando ipſa iam oſtendit experientia, non modo Nobiles, ſed ex prima etiam Nobilitate viros, ac Principes, nec minus mulieres capillorum cultui vltra modum dicatas, indiſcriminatim corripere; vel ſi non corripiat quod deterius eſt, & in immunditiem redigi non poteſt, doloribus at conuulſionibus miſerabiliter torquere. Hactenus de hiſtoria.

CAPVT II.

DE ORDINE AGENDORVM.

IN præſenti opere, quod iam Deo fauente aggredimur ſane difficillimo & à nemine ante nos ſuſcepto, ne confuſio prẽter difficultatem accedat; ita ſingula diſponenda eſſe putamus, vt primo de Nomine aliqua dicamus: deinde verò de Eſſentia huius priuatæ Affectionis, quæ pilis cõ

tingit,

tingit, vt pote omnium maximè noua atque omnium animos in admirationem trahente. quibus expeditis ad commune genus conuersi duo disputabimus.

I. Sitne Affectus iste inter communes, an potius inter sporadicos reponendus.

II. Vtrum sit malignus aut pestilens, an potiùs benignus. Transitu deinceps ad vniuersales causas facto, diligenter inquiremus; Possint ne huius mali causa esse sidera, an aeris vitium, an potius maleficia, vel contagium. Quod si nullum horum esse probauerimus: reliquum erit demonstrare causam hanc intra corpus gigni posse. Quomodo autem id fiat, & ex quibus causis, abundè suo loco disputabimus. Tunc verò vniuersam colligemus præsentis Affectus definitionem, quam tria illa præstare ostendemus, quæ docuit aliquando Aristoteles 4. phys. text. 31. Optimas habere definitiones; vt definiti naturam ad amussim explicent; omnium quæ in re definita contingunt, causam reddant: & cuncta dubia contra illam proposita, dissoluant. Hęc vbi pręstiterimus, ad Signa, prognosticum, & curandi ac præseruādi rationem tandem descendemus.

CAPVT III.

DE NOMINE.

TAmetsi ratio postulare videatur, vt Affectus multiplex, ac sanè varius, licet in vnico tantum corpore, atq; vno & eodem tempore factus, tot debeat nomina habere, quot

sunt

sunt Affectionum species inter se differentes: consueuerunt tamen Medici, aliquando ab vnico humore, vel parte, vel similitudine cum re externa vel alia consimili ratione, Affectus plurimos vnico nomine donare. Sic Melancholia hypochondriaca, quæ præter tumorem & mærorem, falsas q; imaginationes, vomitus, rugitus, cruditates, aliaq; id genus plurima continet, Et Cholera, quæ vomitum, deiectiones, morsus ventriculi, ac sitim, Sic Hydrops Leucophlegmatia, quæ tumorem totius corporis, cruditates, stupores, fluxiones sanguinis ichorosas habet, ab vnico humore nomen sumpserunt. Pudendagra verò sub qua cuncta luis Venereæ symptomata cõplectuntur, à solis laborantibus pudendis nomen habuit. Elephantiasis quoq; totius cutis affectus, cum tumore pedũ, siti, mutatione figuræ faciei à naturali statu, iecoris vitio; omnibus his, à similitudine cum elephanto habita, nomen dedit. Vt propterea in præsenti casu quanquam vario, ac multiplici: futurum non sit à ratione alienum, commune quoddam nomen inuenire, quod etsi cunctis affectibus adamussim non respondeat: notioribus saltem & grauioribus accommodetur. ex quo cetera omnia intelligantur. Vocant igitur Poloni, vt audio, affectum istum sua lingua GVVOZDZIEC, ac leniori vocabulo GOZDZIEC, ac si lingua nostra Clauum dixeris. quanquam Perillustres Polonorum feminæ, honestiori vocabulo GOSCIEC & GOSC quasi dicas Hospitalem & Hospitem appellant; quod in Poloniam ex Roxolania venerit. Veruntamen, vt audio, vtuntur hoc loco Amphibologia enunciationis. Licet enim

aliud

aliud sit hospes GOSC, & aliud Clauus GOZDZ, vt ex vocabulorum scriptione cuiq; planum fieri potest: Mulieres tamen, ita morbi sui nomen enũciant, vt etiam legitimus Polonus vix animaduertat, Hospesne an Clauus pronunciando significetur. Sed hæc amphibologia enunciationis, scripto exprimi nequit. Roxolani autem KOLTVN nominant hoc est paxillum. eo quod crines conuoluti è capite propendeant instar paxilli, qui KOLEK dicitur. Fortè KOLTVNVM vocant ab apparentibus cirris. Apud illos enim cirrus KOLTEK nuncupatur. Atq; ideo Mag. Academiæ Zamoscensis Rector, Morbum cirrorum Latinè appellauit. Cuius exemplo ducti alij, non inuenustè Cirragram dixerunt. Germani vt ex SchencKij obseruatione antea relata patuit, appellant MARENFLECHT, & MARENVVIIRCKVNG & SCHROTTLINSZZAPFF quasi dicas contorsiones pilorum, vel Incuborum tricas, vel cincinnos, vel scropharum tricas. Nos in tanta nominum varietate, quanquam non ignoramus illa esse ad placitum. putamus tamen aliquem habendum esse delectũ, illaq; potissimum esse amplexanda, quæ rei sunt proximiora. Nam vt dicebat aliquando Poeta

„ *Conueniunt rebus nomina sæpe suis.*

Atq; ideo Clauī nomen non recuso, dummodo quis clauum non accipiat, vel pro callo manuum, aut pedum; de quo Galenus 2. de comp. med. per genera cap. xvij: aut pro illa rhagoidis tunicæ procidentia quæ propterea à Græcis ἦλος hoc est clauus vocatur; neq; pro capitis dolore indeterminata parte capitis facto, de quo Auicenna,

atq;

atque alij pleriq; Medicinæ scriptores mẽtionem fecerunt; sed duntaxat pro Affectu isto nobis describendo, qui maximam cum Clauo videtur habere dmilitudinem. Nam sicuti ferreus clauus, dum parieti impingitur, solida frangit, quædam continua dissoluit, ita & Affectus iste, cum primũ inuadit, ossa infringere, artusque laxare videtur, membra conglobat, ac rẽtorquet, donec illius virulentia per cutem capitis in capillos, veluti clauus per parietẽ exeat. Morbum cirrorum, aut, Cirragram, nõ libenter dixerim, quod cirrus ipse nunc temporis in affectione ista minimam habeat partem. Ab eo enim morbus iam in corpore latens incipit, statim tamen desinit, & in cõplicationem capillorum permanentẽ transmutatur. Vt hãc ob causſam verius Plicagram diceres. Quanquam & Plicagra, & Cirragra impropria sit Medicis appellatio, qui morbum non affectioni, sed parti tribuere consueuerunt: Atq; ideo Podagram à Pede, Gonagram à Genu, Chiragram à Manu, Pudendagram à Pudendis, Mentagram, à Mento, non ab affectionibus dicere voluerunt. At cirrus & Plica affectiones pilorum sunt, non itaq; horum sunt ægritudines, sed Partis, vt propterea mihi hunc affectum inspicienti, & curanti, visum fuerit non à ratione alienum, illum nuncupare Plicam, quo nomine cum Affectus ceteris antiquior, atq; ipsis sensibus manifestior, ac reliquis omnibus permanentior explicetur, qui quasi regia videtur, ac præcipua huius morbi sedes, cum Plica apparente, reliqua omnia desinant mala, ipsa verò importunè præcisa, iterum redeãt, licebit itaque mihi (concesſio interim exteris vt pro suo qui

arbitratu hunc affectum vocent) Plicam in toto operis progressu nuncupare. Quo nomine, & singulare volo pilorum affectionem exprimi, & omnium quoq; symptomatum, ac morborum congeriem. Vt propterea à Nomine ad Essentiam transeuntes, primum de Plica tanquam de certo pilorum affectu simus dicturi: deinde verò de eadem, tanquā generica & vniuersali. Ad rem itaq; transeamus.

CAPVT IV.

DE ESSENTIA PLICÆ.

PLica pro pilorum affectu accepta, nil aliud est, quam agglutinatio, vel inuiscatio quædam pilorum, ex humido, viscido, lento, ac glutinoso.

Dictum est Agglutinationem vel Inuiscationē esse, vt aliquid plus significarem, quam intricationem vel implicationem. Intricatio enim permixta est corporum subtilium inter se confusio absq; adherentia, quam digitis aut pectine vnusquisq; ad libitum extricare potest, vt in glomere filamentorū ac capillorū, quotidiè vnusquisq; experitur. Implicationis vero nomen, & ad arctam capillorū constrictionem violenta manu factam, & ad compositionem crinium arte peractam extenditur. Iccirco Virgilius.

„ *Implicuitq; comam lęua.* Et Ouidius.
„ *Sertaq; cælestes implicatura comas.*

Nostra autem hæc Plica vsq; adeo indissolubilē habet pilorum vnionem, vt visco, aut glutine iunctos esse credas.

Id

Id quod Magn. etiam Academiæ Zamoſcienſis Rector, animaduertiſſe mihi videtur, qui licet Adglutinationis & Inniſcationis vocabula, tanquam Orator, vitaret: Plicas tñ deſcribens, non ſimpliciter dicit eas eſſe, Faſciculos inter ſe implicatorũ crinium; ſed cum Aduerbio cõpoſitæ Figuræ, „ *Faſciculos peraptè inter ſe implicatorum crinium*. Hoc enim Aduerbio, pereleganter Adglutinationem ſeu Inuiſcationem, more Oratorũ expreſſit.

Fit autem Plica in pilis omnibus qui longiores ſunt, ſiue ſint in capite, aut mento, ſiue ſub axilis & pube generationis locum habeant.

Cauſſa huius rei proxima non poteſt eſſe alia quam viſcida ac glutinoſa ſubſtantia: Si cauſſæ (vt decet) effectibus reſpondere debeant. Inuiſcatio enim nonniſi à viſcido, & Agglutinatio, nonniſi à glutinoſo fieri conſueuerunt. Qualis autem ſit hæc glutinoſa, ac viſcida materia, vbi, aut quomodo generetur, cur in has partes tranſmittatur: non eſt præſentis loci ſpeculari; ſed quid de vniuerſa hac re ſentiamus, in progreſſu operis libentiſſimè aperiemus.

Nunc autem cum breuiſſimè expoſitum ſit Genus proximum, ſubiectum, & Cauſſa Plicæ proxima: reliquum eſt, vt pro ijs qui ſubtilioribus delectantur ſpeculationibus, paucis inquiramus, ſub quo nam remotiore Genere, Plica hæc noſtra contineatur. Quod quidem caput, tanquam minimè ad totam rei eſſentiam conſequendam neceſſariũ, ſi quis intermittere voluerit, non propterea exiſtimet ſe aliquid minus de tota rei eſſentia ad curationem neceſſaria cogniturum.

CAPVT V.

IN QVO AFFECTVS GENERE SIT PLICA.

IN disputatione quam de huius Affectionis Genere suscipio: etiamsi non vereor multas mihi imminere difficultates, atq; obiectiones; cum tamen omnibus putē me non difficili negotio satisfacturum, idcirco audacter prouinciam aggredior.

Quanquam autem cum illis haudquaquam contendere nolo, qui Plicam ad sympromata qualitatis mutatæ, atq; excrementorum referri posse putent. Qualitatis quidem mutatæ, propter vnctuosam materiam, quam suscipiunt pili; Excrementorum autem mutatorum, propter pediculos, furfures, atq; omnem sordiciem apparentem: mihi tamen vt ingenuè dicam, magis placet vt Morbus ac figuræ Morbus dicatur: quando pili antea plani, humiles, & inflexi, simplices ac disiuncti; crispi & flexi reddantur, inuicem vniantur, formam suscipiant variam vel spicarum, vel funis, vel alterius corporis consimilis. Neq; quispiam mihi obijciat Morbum non esse, qui actionem non lædat, præterea morbum in excremento non fieri, sed in partibus: capillum autem partem non esse, vt pote qui neq; verè augeatur, ac nullo modo nutriatur: Dato autem non tamen concesso, illum augeri & nutriri, ac particulam dici, non propterea subiectum morbi euadere posse asserente Aristotele & Galeno viuentem partem morbi subiectū esse debere, à qua longe distant ipsi pili.

Nos

Nos enim cuncta hæc vidimus, quæ negotium non faciunt. Plica namque etiamsi actionem non lædat, lædit tamen vsum. Morbos aurem nõ in partibus tantum actionem habentibus, sed & in ijs quæ vsum aliquem præstant consistere, docet ipsa experientia & Auctoritas. Atque vt cetera prætream instrumenta, sit mihi in omnibus pro exemplo Oculus ipse, in quo affectus circa coniunctiuam, cornean, rhagoidem, atque humores (crystallino excepto) consistentes, Morbi vocantur, dummodo propria ratione naturalem vsum immutent: Nam si ideo visionem lædant, quod præcipuo visus instrumento incommodent, caussæ, non autem Morbi rationem habent. Itaque cum Capilli, & ornatus & tegumenti gratia, vt ceteros prætream vsus, humano generi sint dati: quis nõ videat, in Plica vsum hunc, prorsus esse immutatum, Capillosq; ipsos, ac Barbam vsq; adeo inuolutam, & impexam, opprobrio, & ludibrio patientibus esse? tegnmentumq; hoc tanto pædore, ac verminatione refertum, nihil habere commodi: Sed omni ex parte ignominiam, laborem, atq; incommodum spirare? Sed quid? erit ergo Morbus in excremento? Non sunt profectò Pili mera corporis excrementa, Partem quandoq; vocauit Galenus 14 Meth. cap. 16. & iure optimo; cum duas habeãt conditiones reliquis partibus communes, alibi ab eodem Galeno, initio libri primi de vsu partium, descriptas: vt propriam habeant circumscriptionem, & toti sint coniunctæ. Itaq; vt Partes, erunt morbi subiectum. At dicent. Esto sint partes: non tamen viuunt. Morbus autem sit in Parte viuente. Id quidem fateor, Formaliter

sem-

ſemper eſſe in Parte viuente: Cauſſaliter verò nō ſemper: imo conſtanter affirmo, frequentius eſſe in Parte non viuente, quam in viuente. Sic Febris ephemeræ ſubiectum eſt ſpiritus; Putridæ, humores: & tamen nec ſpiritus, nec humores viuunt. Quid plura? Nonne inflammationes omnes, Oedemata, Eryſipelata, Scirrhi, Cancri, Abſceſſus, Obſtructiones, Suffuſio in oculo, Lapis in veſica, omnium conſenſione morbi ſunt: & tamen nemo vnquam affirmauerit ſanguinem, Pituitam, Melancholiam vſtam vel non vſtam, Bilē, Pus, Lapidem, aut quid ſimile partem eſſe viuentem? Quod ſi quiſpiam contentioſius agens id ſuſtinere voluerit, quid de Morbis dicet in numero deficiente? Affirmabitne mutilatam iam, vel quouis modo ſeiunctam partem, adhuc viuere? non equidem. Dicet fortè non eſſe in illa iam ſeparata morbum, ſed in ea quæ relinquitur? Fateor in parte reluctā morbum eſſe Formaliter, in abſciſſa tamen eſt Cauſſaliter: Sicuti etiam Febris ephemera, & putrida, & omnis Tumor, & Obſtructio, & omnis Morbus in numero aucto, Formaliter ſunt in Parte viuente (Forma enim Morbi, vt alias nos ipſi abunde diſputauimus, Eſt paſſio de tertia qualitatis ſpecie; atq; ideo iure Parti ſentienti tribuitur) cauſſaliter verò in ſubiectis vita deſtitutis, vt proximè oſtendimus. Neq; tamen rurſus quis obijciat, hac ratione, omnem Cauſſam eſſe Morbum, atq; ſic confundi morbum cum Cauſſa. Etenim nos Cauſſæ nomine nunc Contētiuam intelligimus, quæ tota eſt morbi eſſentia; & ad differentiā illius tertij affectus quem Galenus cauſſam nominat, eſt res in facto eſſe, agitq; ſine motu, & tranſmuta-

mutatione, per ſimplicem quandam emanationem, non diſſimili ratione ab illa, qua, accidentia à forma ſubſtantiali effluunt; contra quam faciat ipſa Cauſſa non contentiua, quæ totam ſui eſſentiam in fieri, & motu repoſitam habet, atque ideo per motum, & tranſmutationē operatur. Sed qui ſubtilioribus delectatur hiſce ſpeculationibus, noſtras quærat Concluſiones Anno ſuperiore in ędibus priuatis, Auditoribus noſtris dictatas, hic enim, vt puto, illis viſis ac conſideratis: nullā de cetero ſuper hac re, difficultatem, vel ambiguitatem eſt habiturus. De hac re ſatis. Tranſeamus itaque ad id, quòd præſentis noſtræ ſpeculationis magis proprium eſt. Et quando hucuſque vnius affectus Pilorum, eſſentia fuit expoſita, altius ſumto exordio, & accepto Plicæ nomine pro omnium morborum ac ſymptomatū quæ in hoc caſu aliquando conſpiciuntur agregato. Videamus ante omnia, Sitne Affectus iſte communis, an ſporadicus, & ſi communis, ex quonam genere. Quod ſequenti capite exponemus.

CAPVT VI.

VTR. PLICA INTER AFFECTVS COMMVNES, AN POTIVS INTER SPORADICOS SIT REPONENDA.

LOgica, non eſt hæc ſpeculatio ſicuti præcedens, qua nunc quærimus, ſit ne Plica Affectus communis, an diſperſus? Cum enim aliæ ſint Vulgarium, aliæ vero ſporadicorum Cauſſæ; illorum quidem communes, horum autē Pro-

prię:

priæ: iccirco, & ad dignoscendam naturam, & ad inuentionem auxiliorum, maximum habet distinctio ista momentum.

Duabus autem præcipuè conditionibus hos à se inuicem distingui inuenio. Primùm quidem ex similitudine, aut dissimilitudine: deinde verò ex patientum numero, ac varietate. Facit quidem similitudo, aut dissimilitudo distinctionem istam, quia Vulgares nuncupati morbi, vnam habent cõmunem naturam vel genericam, vel specificam. Genericam tantum, vbi Pestilentes fuerint. Neq; enim in pestilentia, vnum tantum morbi genus vagatur, sed multiplex & varium, vt ex constitutione pestilenti ab Hippocrate 3. Epidemiorum relata apertissimè constat: habent tamen omnes venenatam, ac pestiferam illam conditionem, quæ in multiplicitate, vnitatem parit.

Communes autem in specie, omni ex parte sibi ipsis sunt similes, vt cum eodem tempore vagantur tantum Catarrhi, Anginæ, Pleuritides, Dysenteriæ, vel aliæ id genus vulgares affectiones.

Sporadici vero Morbi, neq; genere neq; specie sibi ipsis sunt similes, atq; ideo Galenus verba illa Hippocratis primi Acutorum *Tex.9.* καὶ παραπλήσιοι ἐῶσιν. *Et similes fuerint.* Vel negatiuè legenda, καὶ μὴ παραπλήσιοι. *Et non similes*: Vel sic interpretanda censet. Non esse quidem Sporadicos sibi ipsis similes, sed Vulgaribus. Fieri enim potest, vnum quodq; morbi genus nou minus ex priuata causa, quàm ex communi, Pestilenti etiam non excepto. vt propterea 3. in tertium epidem. 57. docuerit Galenus, pestilentem fieri febrem absq; peste, quod est dictu. non vulgarem, sed sporadicam. Pestem enim

enim antea text. xx. dixerat Morbum esse Epidemicum exitialem. Hæc igitur prima est distinctionis Morborum vulgarium ratio.

Secunda autem à patientium numero, ac diuersitate desumta, ad huiusmodi differentiam constituendam est aptissima. Communes enim Morbi indiscriminatim, omnibus contingunt, vel contingere possunt: Viris, Mulieribus, Infantulis, Pueris, Adultis, Senioribus, cuiuscunque temperamenti & habitus, exercitatis, & ociosis, Nobilibus, & Plebeijs, siue frugaliter, siue intemperanter viuentibus, vino, aqua, medone, cereuisia, aliòue potu vtentibus, vno verbo neq; in cibo neq; alia in re conuenientibus, iccirco plurimis.

Dispersi verò eos tantum apprehendunt, quibus priuata quædam sit vitæ ratio, & sane paucos.

Itaque cum Affectus iste, sit sibi vndiquaq; similis, plurimos apprehendat, vt propterea in Pocutio per singulas ædes, duo, & tres hac labe vexati reperiantur; Quis quæso in dubium reuocabit morbum non esse Epidemicum? Id profecto apertissime docet Mag. Rector Zamoscensis cum scribit, nullum esse sexum, nullamue ætatem, aut vitæ rationem, nullam hominum conditionem, quæ huiusmodi rabiem non sentiat. Est verò hoc maximum vulgaris morbi argumẽtum, quod Mulieres potissimum, & lactentes Infantuli, hoc morbo corripiuntur: quæ, & qui, omnium minimè corripi deberent. Cum enim præcipuum omniũ symptoma sit dolor articularis; huic Eunuchos, Mulieres, ac Pueros minimè subijci, testatum reliquit Hippocrates 6. Aphor. 28. & 29. & 30. Vt pro

pterea Athenæus 2. Dipnosophistôn. Podagræ, Pueros, Virgines, Eunuchos, ac Mulieres quandoq; diuexantis, contra Hippocratis Placita, mentionem facturus, Epidemicum Morbum esse ostẽderit: quasi dicere voluisset, Diuini Senis sententiam, in Sporadicis tantum Morbis, non in Vulgaribus locum habere, neque enim contra communem caussam, sexum, vel ætatem sufficere posse. Verba illius, sunt hęc.

„ *Pythermus, vt inquit Hegesander, memoriæ tradidit, æuo*
„ *suo moros annis viginti fructum non edidisse, & Populare*
„ *Morbum Podagram ita fuisse graßatum: vt non solùm Vi-*
„ *ros, sed etiam Pueros, Virgines, Eunuchos, Mulieres, hic*
„ *Morbus corripuerit.*

Quæ verba doctissimo Mercuriali Præceptori meo occasionem dederunt disputandi. var. Lect. lib. 1. cap. 24. fueritne mororum defectus, illius Podagræ Caussa, vel Signum. Qui tandem concludit, Signum potius prauæ constitutionis fuisse, & ad Podagram efficiendam aptæ, vt pote, quæ tãdiu frigida fuerit, vt mori flores delere potuerit. Cum enim morus Auctore Theophrasto, iccirco sit arbor prudentissima vocata, quòd nouissima omnium germinet: ea si quando pruina lædatur; maximam cæli imtemperiem ostendit, non articulis noxiam minus, quam moris. De qua aliquando Hippocrates 5. Aph. 18.

„ *Frigidum inimicum dentibus, ossibus &c.*

Sed quidquid sit de moris: hoc vnum habeo, vulgarem esse illum Morbum, qui minimè ætati, aut sexui conueniat, qualis est iste. Quod si quispiam nobis Hippocratem obijciat asserentem, Mulieribus quoq; non purgatis Podagram fieri, has vero

neq;

neq; purgationes, neque alias quasdam consuetas sanguinis eruptiones habere. Obijciat præterea Senecam lib. 5. epist. 95 de luxu mulierum sui temporis hæc scribentem, quę vtinam Polonicis quoque feminis non conueniant.

„ *Mulieres cum Virorum licentiam æquarint: corporum quo*
„ *que virilium vitia æquarunt. Neq; enim minus pernigilant,*
„ *non minus potant, & oleo ac mero viros prouocant, atque*
„ *inuitis ingesta visceribus, per os reddunt: vinumq; omne*
„ *vomitu reijciunt, atq; niuem rodunt solatium stomachi æstuā*
„ *tis. Libidinę verò neq; Maribus quidem cedant pati inna-*
„ *tæ. Quid ergo mirandum est, maximum Medicorum ac natu-*
„ *ræ peritissimum, in mendacio prehendi; cum tot feminæ po-*
„ *dagricæ sint. Beneficium sexus suis vitijs perdiderunt, &*
„ *quia se feminā exuerunt, damnatæ sunt Morbis Virilibus.*

Hæc quidem nostram non infringunt sententiā, primo quia communis morbus vt infra demonstrabimus, non minus ex communi viuendi ratione fieri potest, quam ex communi aere: Deinde vero, quod dato non tamen concesso auctoritates istas contra mulieres militare, at contra pueros, & infantulos, nihil faciunt, quos arthritide frequenter laborare vsq; adeo nouum, & inauditum est, vt Brasauola Comment. ad Aphor. 30. sextæ partic. tanquam pro miraculo proferat, Alphonsum Tassonū anno suæ ætatis quinctodecimo Podagra laborasse. Hollerius verò in Commentario eiusdem Aphorismi alium proponiet annorū decem. Cui Io. Michael Paschal Method. curan. lib. 1. cap. 16. alium annorū septem subiungit: Hæcq; pauca tanquam rarissima, & admirabilia ab his sūt proposita, cum tamen nunc in Polonia non vnus, vel alter tantum, sed plurimi, non pueri duntaxat, sed adhuc lactentes, affecti cōspiciantur. Argumē

to sane Vulgaris Morbis certissimo, atq; demonstratiuo. Cum autem Vulgarium alij quidem sint Endemij, alij vero Epidemici: Quis quęso audita iam casus historia, Patrium vocabit hunc Morbum, qui non Pocutianis tantum, aut Podolienſibus, & Polonis, sed & Germaniæ, & Vngariæ iam diu sit communis? Huic ergo Capiti finem imponentes, Plicam constituimus, non sporadicum, non Endemium, sed Epidemicum affectum.

Cum verò Epidemicorum alij sint Benigni, alij Pernicioſi & Lethales: in quonam genere sit reponenda Plica, sequenti capite explicabimus.

CAPVT VII.

AN PLICA SIT MORBVS BENIGNVS VEL MALIGNVS.

PLicam Morbum esse Malignum, ac Venenatum, satis superq; mihi ostendisse videbantur, verba, ac signa quæ in Magnifici Rectoris Zamoscenſis epistola continentur. His enim vtitur verbis.

„ *Humor ille & virus, in corpus relabitur.*

Et paullò post:

„ *Hac affecti peste ardent.*

Et inferius:

„ *Virulentis illis crris decidentibus conualuere.*

Hæc quidem pernicioſum significant venenum. Sic enim Galenus venenatorum animalium prauam qualitatem morsu inflictam, virus seu virulentiam appellat. Et Pestem, Morbum inquit esse Epidemicum, qui plurimos interficiat,

in

in Epistola autem hæc leguntur.

„ *Maxima tamen pars perit.*

Quid igitur clarius? Sed ad Signa transeamus. Nullum profecto Scriptoribus proponitur Veneni signum, quod in hoc casu, non reperiatur? Dicebat Galenus 6. de loc. affect. cap. 5. Veneni signum esse, si derepente quis mori reperiatur, deinde vero corpus aut liuens, aut nigricans, aut varium est, aut difluens sit, aut putredinem molestã oleat. Sed si sano corpori, ac valido hæc omnia contingunt, quanquam Mors non statim succedat, nonne veneno affectum illum sic laborantem putabimus? Profecto sic. Neq; enim venenati omnes de repente moriuntur. At verò in ipsa Plica hæc fieri, antea ita referente Illustrissimo D. D. IOACHIMO DE OCIESNO, docuimus, Morbum hunc. confertim irruentem, omne virium robur dissoluere, corpus laxum & difluens reddere, faciem in eo liuidam, ac nigram fieri, vniuersumq; caput propter Pediculos, & Sorditiem, insignem prę se ferre putredinem. Sed & alia multa huiusce Affectus malignitatem ostentant; vt Dolorum vehementia, quos Hipp. & Galenus sexto, in sextum Epidemiorum com. 5. à caussis venenatis fieri docuit. Symptomatum prę terea insignis contrarietas; & eorum quæ absque Veneno vix simul stare possunt, vt dolor articularis, & conuulsio, quæ in hoc casu frequentissima sunt; de quibus tamen Galenus 6. Aphor. 49. scribit, visum esse nunquam Podagricum conuulsione laborantem. Quid dicemus de eadem Conuulsione, & laxitate? Nonne contraria sunt laxũ & tensum? At Conuulsio est cum tensione. quo-

modo

modo ergo absq; veneno stabunt simul, membrorum tensio & laxitas? quo modo præterea tã breui tẽporis interuallo transeunt dolores isti ex vno articulo in alium, atq; inuicem Symptomata transmutantur, Dolor, in Conuulsionem, Conuulsio, in Dolorem (quanquam vtrumque simul adesse possit) Conuulsio ipsa Emprosthotonos, in Opisthotonum aut Tetanum, vniuersalis, in particularem, particularis, in vniuersalem. Hæc, & alia plurima vnius auræ venenatę sunt argumenta, vt paulò infra ex Galeni, & aliorum sententia abunde explicabimus. Erit itaq; tandem Plica, Morbus Epidemicus, Malignus, ac Venenatus.

CAPVT IIX.

QVOMODO PLICA SIT MORBVS MALIGNVS.

MOrborum vulgarium quos Pestilentes vocant, non vnica est differentia, sed sanè multiplex, prout venenatæ etiã qualitates variæ admodum inter se sunt, atq; aliæ alijs lethaliores: Iccirco quanquam Plica inter malefi cos sit reposita morbos, vera tamen pestis, apprimè exitialis non est. Licet enim multi intereant: multò plures tamen sunt qui seruantur, quam qui moriantur. Quare videntur recentiores quidam Medicinæ scriptores non ineruditi, Pestilentem constitutionem à Peste sic distinxisse. quod vera Pestis magnam partem eorum quos apprehendit, exstinguat: Pestilens autem Morbus, qui verius Malignus dicitur, periculosus quidem sit, sed, vt dicebat Galenus 1. Prorr. 14. spem salutis non admat.

mat. In hac classe reponenda mihi videtur, Febris lenticularis Fracastorij, Sudorifica, Britannica, Cæphalalgia Anni 1567. Angina, Pleuritis, Peripneumonia 1564. 1565. Hemitritæos pestilens, Lues Venerea, Lues Morauica, Scorbutus, atq; alia id genus plura corporibus valde infensa, & nonnunquam interficiëtia, minus tamen quam legitima ipsa Pestis. In quo ordine Plicam quoq; numerandam esse puto; vt pestilens sit seu venenata ac maligna, non tamen necessario interficiens. Caussam verò propter quam frequenter non interficiat, inferius aperiemus. Nunc autem ad caussas transeundum, quæ cum non minus quàm Effectus communes esse debeant, vel à Sideribus, vel ab AEere, vel à Maleficijs, vel à Contagio, vel a cõmuni quodam vitæ genere, petendæ sunt. Singulas ergo percurramus, à sideribus sumto initio.

CAPVT IX.

AN SIDERA POSSINT ESSE PLICAE CAVSSA.

NOuos, non tantum morbos, sed & alios omnes aut raros, aut insignes euentus in cœlum referri: neq; nouum est, neq; à ratione alienum. Nam vt Magnos præteream Orbes, & Saturnias Reuolutiones, vel alia id genus plura; Solis ac Lunæ motus vsqueadeo irrationales a Deo constituti, vt tot annorum curriculo numquam ad idem numero punctum redeant, ad nouos maximosque effectus producendos aptis-

mi

mi sunt. Summoq; D. O. M. consilio id factum esse censendũ, vt ex hac iugi, ac perenni nouarũ rerũ productione, sublunaris hic Globus, ornatũ, ac pfectionis augumẽtũ susciperet. Sed q̃dq̃d de reliqs sit, vt ad solos Morbos sermones meos cõuertam: nemo est qui non videat, quã facile Astrologi Pestilentium Morborum caussam ad Sidera retulerint. Sic enim Pestis omnium sæuissimæ, quæ viguit Anno 1348. cuius meminit Bocatius; Villanus, & ex Medicis Guido à Cauliaco, caussam dixere copulam Iouis, Saturni, ac Martis, in Gradu decimonono Aquarij. Et Ficinus, Pestem Anni 1478. ad luminarium Eclypses, & Saturni, ac Martis coniunctionem in signis humanis, redegit. Nicolaus autem Massa, & cum eo Cardanus, Luis Gallicæ in Europa de nouo apparentis caussam putarunt, Iouis & Saturni in Scorpio congressum, & Eclypsim Anni 1484. Sic deniq; vt alia prætéream, Cornelius Gemma, Pestem, quæ post Annum 1574. vigere cœpit, ad varias siderum copulas, ad luminarium defectus Annorũ prę̃cedentium, vel ad oppositionem Saturni & Iouis eiusdem Anni, circa Lacteam viam, cum stellis Scorpij naturæ Martis & Mercurij, vna cum Schematismis mutuis quinq; errantium, per coniũctiones atq; diametros reducere voluit.

Hæc quanquam a tot summis viris, atque alijs pluribus accepta, neq; sine probabili ratione prolata: mihi tamen rebus Medicis, minimè permiscenda esse videntur; quando Medici ipsi illas tantum caussas contemplari debent, quibus possint occurrere: non autem Cœlestes, contra quas nihil possunt vires humani ingenij. Et vt ingenuè

dicam,

dicam, quid de hac re sentio, licet apertè confiteor, me in rebus Astrologicis neq; diu, neq; multum esse versatum: has tamen caussas cœlestes minimè accipio, qui puto, quæcunque ab Astrologis hac in re proferuntur, omnino incerta, superuacanea, & vt plurimùm ridicula esse.

Incerta quidem sunt. Etenim vel Sidera agunt in hæc inferiora necessario; vel contingenter. Necessario operari, nunquam vt puto dicere audebūt: Quanquam enim id multi existimarunt (Atq; vti nam tot non fuissent, omnes sanè hac in parte impij, & à veritate longe declinantes) vt ex Philosophis Democritus, Heraclitus, Empedocles: ex Astrologis Sentirio, Frenetius, ac Possidonius. Quibus alludens Lucanus stultè admodum scripsit.

„ *Præsagit omnia Fatum.*

Et Seneca.

„ *Regitur Fatis mortale genus.*

Et Ouidius.

„ *Ratio Fatum vincere nulla potest.*

Cui Iuuenalis, illis versibus subscribit.

„ *Plus etenim Fati valet hora benigni,*

„ *Quàm si nos Veneris commendet Epistola Marti.*

vt Quinctum Curtium; Plinium, Quinctilianū, atq; alios plurimos prætermittam. Horum tamen sententias tanquam omnino impias, vt pote quæ arbitrij libertatem tollant; ratio, Sacræq; omnes litteræ reprobarunt, & ab hominum mentibus erruendas atq; eliminandas existimarunt.

Itaq; dicent esse caussas contingentes. At contingentium nulla est scientia. Video illos statim dicturos, contingentes quidem esse: sed cum subiectum inueniant ad suscipiendum dispositum, ac

preparatum, cauſſas euadere neceſſarias: Atque ideo ſympathiam requiri inter Cauſſam agentem & ſubiectum patiens. Hæc quidem quæ probabilia videntur: intimius perſcrutata, nihil prorſus habent ſolidi. Quæſo diligenter rem hanc conſideremus. Nouus proponitur Morbus, atq; incognitus. Quis ergo huius proportionem cum ſideribus intelliget? Vt proportio vnius, cum altero intelligatur: vtriuſq; natura primum eſt cognoſcenda. At Morbi noui, natura eſt ignota. Ergo ex hac parte, ſtatim proportionis notitia cadit. Sed neq; notam eſſe puto eorum Siderum naturam, cum quibus volunt ſubiecta patientia Sympathiam obtinere. Nobis ignotæ ſunt ſublunarium rerum, in quibus quotidie verſamur, ſubſtantiales Formæ: & profitebimur ſuperiores illas longe à ſenſibus noſtris diſtantes intelligere? Neq; verò mihi quiſpiam reſpondeat, ex primis vel ſecundis qualitatibus quas Cœleſtia inferioribus cõmunicant, has formas redi conſpicuas. Quanquã enim hæc regula in corruptilibus locum habeat, quæ ex mutua qualitatum actione generantur, & illas poſt generationem retinent: de cœleſtibus tamen alia eſt ratio, quorum formæ neq; ex qualitate fiunt, neq; illis ad actionem vtuntur. Quod ſi ex eorum acceſſu, vel receſſu Frigiditas, aut Caliditas, Humiditas, aut Siccitas, atq; aliæ id genus paſſiones inferantur: nemo tamen vnquam affirmare auſus eſt, Sidera qualitates illas in ſe continere. Itaq; ſi ignota eſt Siderum natura, ſi per Qualitates non operantur, ſed potius occulta quadam vi & facultate, qualem in pleriſque Sublunaribus à tota ſubſtantia agẽtibus conſpicimus, vt in Magne-

te,

te, Succino, Echineide atque alijs similibus: reliquum profecto est, vt dicamus proportionem hãc quam isti inter Agens & Passum astruunt, incomprehensibilem esse.

Fortè dicent, non multum referre ad proponẽdas effectuum causas, specificam hanc siderum formam intelligere: sed satis esse principia quædã certa, & indubia nouisse, per quæ, in hæc inferiora operantur. Quod sanè si ita esset: magnam præberet Astrologis fidem, atq; auctoritatem. Sed longè aliter res habet, cum Astrologi in suis principijs minimè inter se conuenire videantur; dum de numero orbium, motuum, atq; eorundem mensura, vsq; adeo digladiantur, vt hanc ob causam, Astrologicæ scientiæ, summam leuitatem ostendant. Nam Plato, Aristoteles, Proclus, Auerroes, atq; alij plurimi Astrologi, octo tantum orbes constituunt: Babilonij & cum ijs Albertus Magnus, nouem: superioris seculi Astrologi, decimum addiderunt. De motu octauæ sphæræ, non minus dissentiunt: dum Chaldęi, & AEgyptij, cum quibus est Alexander Achilinus, illi vnicum tribuunt motum: alij duos, alij tres. Sed de Mensura motus quid dicam? dum Octauum orbem alij vt Ptolemæus singulis centum annis vnicum conficere gradum scripsit: alij, vt Albategnius, sexaginta: quidam, sexaginta quinq, vt Azarcheles Maurus: alij septuaginta octo, vt Hipparchus: quidam septuaginta; nonnulli octoginta; vt cui credere debeas sanè ignores. Omitto maximas quoque discordias in mensura motus Cœli crystallini, vocati: difficultates in inueniendo Martis vero motu: controuersias in ordine orbium Planetarum, dum

Plato Solis globum post Lunam reponit: Methrodorus Chius, Anaximander, & Crates ipsum primum faciunt: alij in medio omnium collocarunt. Sed nimis longus essem, si omnes Astrologorum contradictiones referre vellem. Hæc mihi satis esse videntur ad demonstrandam suorum principiorum infirmitatem.

Ceterum, hoc vnum quod ex ipsis accipio, ad reijciendas eorum Causas: nequaquam præterire volo. Confitentur enim, vsq; adeo infirmam esse Siderum vim, si quæ tamen est: vt ab omnibus causis sublunaribus, immutari possit. Atq; ideo aeris constitutionem, tempus anni, regionem, mores populi, victus cuiusq; rationem, corporis exercitationem, atq; alia id genus: plus posse quàm sidera.

Ex quibus non modo patet, quàm incertæ & dubiæ sint horum Astrologorum causæ: sed etiam quàm superuacaneæ. Si enim nihil agunt, nisi in subiectum dispositum: aut disponitur subiectum à sideribus: vel à secundis causis. Si dicis, à sideribus: in laqueum incidis. Fatum enim constituis. Si dicas a secundis causis: has nos quòque accipimus, has contemplamur, atq; his, medico auxilio, occurrimus. Superuacanea igitur sunt Sidera.

Possem profectò vltimum hoc prætermittere, ridiculas scilicet plerumq; euadere Astrologorum prædictiones: (Abunde enim hoc demonstrauit Io: Picus Mirandulanus quinto libro contra Astrologos cap. 15. & 16. qui & Albumazarum & Arnoldum Villanouanum manifesto arguit mendacio, quorum primus Machometis aduentũ præ

cognosci

cognoſci potuiſſe contendit, ex coniunctione Iouis & Saturni in Scorpio, quæ annos quinquaginta duos, ante illius legis editionem, præfuit: Alter verò concurſum trium Siderum in Aquario anni 1345. & Iouis & Saturni in Piſcibus 1464. Antichriſtum proximè futurum minitabatur. Abunde quoq; omnium Aſtrologorum nugas, & meras fabulas Sanctus Ambroſius in libro Hexameron, exemplo illius Aſtrologi irridet, qui cum certa quadam die, pluuiam polliceretur, tanta fuit ſenitas, vt nulla maior. Quod etiam de alio quodā notauit Io. Picus, ſecundo contra Aſtrologos cap. 9.) Verùm enimuero, qui ex Aſtrologis prudentiores videri volunt, ij non præſagiunt; ſed poſt rei euentum ad Cœlum ſeipſos conuertunt, & ſtatim cauſſam inueniunt. Quod ſanè quam facillimum ſemper illis ſit futurum, nemo facile nō videat, qui intelligat quot refugia, quot angiportus, quot deniq; modos habeant, quibus omnium cauſſas inuenire poſſint. Nullus enim ſiderum concurſus vel aſpectus erit, qui pro ijs non faciat. Habent luminarium Eclypſes, habent Planetarum copulas vel maximas, vel magnas, vel medias, ſub his vel illis Zodiaci ſignis Igneis, Aereis, Aqueis, Terreis. Habent quòq; alia plurima aſtra: & cum hæc non ſuffecerint: confugient ad aſpectus Oppoſitos, Trigonos, Tetragonos & Hexagonos: Si neque hæc fuerint ſatis, alia plura eis non deſunt, Domus videlicet, Exaltationes, Retrogradationes, atq; alia innumera. Quid plura? Si noui euentus, præſentem cauſſam probabilem non habeant: ad ſuperiores confugiunt Annos. Sic Cornelius Gemma, Peſtē Anni 1575. ad influxus Anni 1571.

refert;

refert: & Cardanus, Luem Veneream Anno 1492. in Italia, ex mero contagio incipientē: vult ab influxu Anni 1484. prænunciatam fuisse. Lenticularem verò Fracastorij, quæ fuit Anno 1528. ab Anni 1524. congressu habito, originem traxisse. Figmenta sanè omnia & ridicula, ac Medicis omnino prætermittenda; Vt propterea minimè mirādum sit, si præcipui omnes Philosophi ac Medici partem hanc vel prorsus neglexerunt, vel quàm leuissimè tetigerunt: vt ex Philosophis Plato, Aristoteles, Democritus; & ex Medicis Hippocrates, & Galenus noster; apud quos pauca tantum quædam inuenias, ex quibus licet colligere, hanc mentem illorum fuisse, aliquod quidem esse superiorum in hæc inferiora regimen, & quendam Astrorum consensum: non tamen eum, quem recentiores Medici post Albumasarem vsq; adeo anxiè & curiosè inquirunt. Atq; ideo Cornelij Gemmæ, viri alioquin Doctissimi, locum in Appendice operis Cosmocritici de Hemitritęo, non sine aliqua animi indignatione, hac in parte legere possum: dum audet affirmare, ideo Galenū pauca admodum de vi astrorum, monumentis tradidisse: quod ad imperitos homines scriberet. quasi verò Gal. noster non minus ad illum, quàm ad reliquos omnes, illo etiam doctiores & in quacunq; facultate peritiores scripserit? Verùm de hac re satis. Qui enim plura contra Astrologos desiderat: hic xij. libros à Pico Mirandulano conscriptos adeat. Is etenim omnium maximè (quidquid pro Astrologis dixerit Bellantius & alij) argumentum hoc pertractauit & absoluit.

Videor, me totum id præstitisse; quod opus fue-

rat

rat, videlicet pro demonstrandis, & inquirendis nouorum morborum caussis, ad Sidera confugere, incertum esse, superuacaneum, & ridiculum. Atq; ideo ad aliarum caussarum inquisitionem transeũdum esse censeo.

CAPVT X.

AN CAVSSA PLICAE IN AEREM SIT REFERENDA.

DVM vniuersalẽ Plicæ caussam quærimus, si Magni Hippocratis doctrinam sequamur: hanc non aliundè quàm à circumfuso aere petere debemus. Propria enim videntur reliqua omnia, vel Indiuiduorum, vel Vrbis, ac Loci; cibus inquam, & potus, ac exercitatio: vnicus aer cunctis Indiuiduis, ac Locis, communissimus est, quem nolimus, vélimus, inspirare, & intra omnes corporis meatus recipere cogimur. Hinc Diuinus ille Senex, secundo de Natura humana, & libro de Flatibus: Vulgarium Morborum, aliam non cognouit caussam, præter Aeris circumfluinaturam.

Si itaque Plica Morbus est Epidemicus, caussam habebit Aeris vitium. Et quando non modo Vulgaris est, sed & venenata: venenatam quoq; in aere caussam obtinebit. Venenati autẽ nomine, in præsentia intelligo, occultum quid & humanæ naturæ aduersarium, non tamen prorsus deleterium, quod noster Hippocrates Prognosticorum primo τὸ θεῖον hoc est Diuinum vocauit, etsi Galenus in illius loci expositione aliter sentiat.

Cete-

Ceterum quidquid sit de loci illius expositione: nunc ad examen id reducentes, sitne in aere, venenata qualitas Plicę: nullam esse aut præfuisse caussam, resolutè dico: quandoquidem hæc, sequitur Aeris insignem corruptionem, vel ex propria intemperie, aut ex permixtione alicuius praui corrupti halitus factam: siue ex corporibus inhumatis: siue ex putrescentibus oleribus, aut leguminibus: siue ex palude, antro, aut barathro: siue ex serpentibus venenatis: siue etiam ex ventis aliunde virulentiam deferentibus; quorum vnum quodque legitimam constitueret Pestilentiam, ab hoc morbo vsq; adeo distantem: vt nemini Polono distinctionem facere non liceat, qui vno & eodem tempore & Plicam, & veram pestem in propria patria grassari videat. Etenim singulis ferè annis Cracouiæ Lues ista Pestilens diuagatur, in hoc potissimum à Plica dissentiens: quòd Morbus sit acutus, Plica verò Chronicus: Pestis, vt audio, sub festum Natalis Domini desinat, Plica verò nullo Mense, aut die, miserum patientem dimittat. Accedit etiam, quòd ex Aere infecto, multo plures hoc morbo caperentur, multoq; plures morerentur q̃ in presentia teneãtur, aut moriãtur. Neq; verò rationi consentaneum est, tam insigne Aeris vitium in Regiones, vsque adeo inter se distantes, qualis est Polonia & Heluetia, communicari, non autem locis inter hanc, & illam positis, in quibus si quid est huius morbi: non ad aliud genus, quàm ad sporadicum est referẽdum.

Accedit, quod nullam ex caussis iam propositis aerem corrumpentibus locum habere ex eo facilè conuinci potest: quòd maleficæ Aeris qualitates,

per

per tot continuos Annos, nunquam perduraſſe viſę ſunt. Etenim ipſammet aeris formam corrumperent, atq; ſic vno elemento in propria ſubſtantia corrupto, alia quoq́ue tandem perire opus eſſet.

Scio quidem non inerudite, & religiosè admodum quoſdam exiſtimaſſe, Diuinum illud in Morbis, ab Hippocrate propoſitum: intelligendū eſſe de Morbis, qui à Deo Opt. Max. pro puniendis hominum ſceleribus quandoq; mittuntur; nulla in ipſo aere facta ſenſibus noſtris conſpicua mutatione. Sic enim legimus Exodi xij.

„ *Nunc extendens manum meam (ait Pharaoni Deus) per-*
„ *cutiam te, & populum tuum peſte, peribisq; de Terra.*

Et Leuitici xxvi.

„ *Cumque confugeritis in vrbes, mittam peſtilentiam in me-*
„ *dio veſtri.*

Et Numeri xiiij.

„ *Feriam igitur eos peſtilentia atq; conſumam.*

Iccirco & propter Dauidis peccatum, vnica die, ſeptuaginta hominum millia Deus peſte deleuit.

Itaq; idipsū de Pocutianis, & Podolienſibus ſuſpicari poſſe, apud quos verus Dei cultus frigeſcit, ſuperſtitio aūt, & Dæmonū cultus primas habent partes, non eſſet à rōne alienū. Nos tñ hæc Theologis iudicanda relinquemus, & tam̃q Medici ad manifeſtas qualitates animum conuertemus. Sunt profectò manifeſtæ aeris qualitates, ad inducendos Morbos communes aptiſſimæ, ſiue Tempus Anni ſequantur, ſiuè Regionem, ſiuè Conſtitutionem, de quibus omnibus Hippocrates libro de Aere, Aquis & Locis tertia Aphoriſmorū Particu-

la, & multoties in Epidemiorum libris meminit: Sed manifestæ qualitates, manifestum quoq; faciunt Morbum: hic verò occultus est. Vel igitur non sunt huius Morbi causſæ, vel non solæ aut præcipuæ? Dico qualitates solas non esse, aut præcipuas, quia quantum conferāt huic morbo gignendo, & conseruando: inferius explicabimus, interim de alia causſa cogitantes, quæ cōmunis & malefica simul esse possit.

CAPVT XI.

AN MALEFICIA POSSINT ESSE CAVSSA PLICAE?

ANtequam intimius ea considerasſē, quæ in præsenti capite continentur: videbatur mihi profectò præsens de Maleficijs consideratio, ad curiositatem potius, quàm ad doctrinam pertinere. Longè enim ab omni ratione putabam, Affectum hunc, ex Maleficijs fieri posſe. Sed cum penitiora huius sentētię penetrasſem: tantam in ea probabilitatem inueni, vt ad demonstrationem proximè accedere videatur: vixq; solidā habeo rationem, qua illam infringere possim.

Primùm quidem ex Maleficio, maleficum fieri morbum, apud omnes in confesſo est. Hunc vero, ex illis esſe maleficis qui ad fascinationem, vel præstigium pertinent, satis docere possunt signa eorū, qui veneficio affecti existimantur, à multis propositā: præcipuè vero à Baptista Codrunco lib. 3. de Morbis Veneficis cap. 13. & à Cardano 2. de Venenis: quæ omnia ad vnguem huic morbo quadrare

drare videntur. In morbis enim ex veneficio illatis, Medici quanquam sint Doctissimi: huc atque illuc impelluntur animo, nec certi quidquam de ipsis pronunciare audent: remedia ex arte inuenta, frustra adhibent: morbos non profligant aut minuunt, imo maiores & acerbiores reddunt: qui dum suas vires acquisiuerint, aliquando ex inopinato desinunt, aut saltem intermittunt, & pro tempore latent, deinde vero absq; caussa reuertuntur: accessionesq; habent inconstantes, non semper sibi ipsis vndequaq; similes. Dolores enim & conuulsiones quæ in illis fiunt, modo hanc, modo illã petunt partem, ac vicissim ex vna in aliam transeunt: quandoq; in omnes truci quoddam modo desęuire videntur.

Hęc, atq; alia plurima, à scriptoribus enarrata, nostro huic morbo ad vnguem conueniunt; vt propterea minimè mirandum sit, apud plurimos ne dicam omnes increbuisse iam certam quandam opinionem, atq; in dies magis augeri, non aliundè quam ex Veneficijs hæc fieri. Ex quo Ioa. Georg. Schenckius cuius antea memini, Tricas Incubonum vocat; quasi Morbũ ab Incubis Dæmonibus factum. Et Christophorus Rumbaum in Obseruatione quadam impressa, in septimo libro obseruationum Ioan. Schenckij senioris hæc scribit.

„ *Anno 90. Vxori, viri cuiusdam, qui ex fæcibus Cereui-*
„ *siæ, vinum aduſtum arte elicere solebat. VVratislauiæ,*
„ *dum nimio subitoq; terrore propter incendium vicinarum ę-*
„ *dium puerpera, ex mensium & lochiorum retentione Peri-*
„ *pneumonia corriperetur: in pulmonis abscessum phtisimq;*
„ *ipsius incuria terminante, dum diu à me frustra curaretur:*

„ *Anus quædam empirica accesſit, ſuamq; operam offerens,*
„ *auxilium præſens pollicita eſt. Quam dum ipſa non admit-*
„ *teret, indignabundam diraq; comminantem domo exclude-*
„ *ret; ſordes capitis, pexis, plicatis, compoſitisq; prius pro*
„ *more capillis ſatis prolixis, aqua calida eaq; ſimpliciſſima*
„ *abluere tentauit. Verùm ad primam aquæ affuſionem, late*
„ *ris alterius cincinni omnes, quaſi obducti adeo intricati ſunt*
„ *ſubito, vt nullo poſtea modo ingeniosè extricari poßent, do*
„ *nec vitam cum morte commutauit. Atq; hoc non niſi fa-*
„ *ſcino factum opinamur. Doctiſſimi V. D. D. Chriſtoph.*
„ *Rumbaum Obſeruatio.*

Confirmare autem videtur omnium maximè hanc ſententiam, conſenſus quidam, vel ſimilitudo maxima: quæ inter Plicam, & faſcini fomitem intercedit. Sicuti enim præcipua, ac quaſi Regia Plicæ ſedes, ſunt pili ipſi, quibus tantopere delectatur, vt cum primùm in eos irruperit, miteſcat; cum vero illis fruſtretur, ſtatim recrudeſcat; idq; tanta velocitate, vt nil fere velocius eſſe poſſit: ita & Dæmonum maleficia, pilis ſummopere oblecta ri; vt in nullo alio loco facilius, aut libentius quàm in his ſe recondant, argumento ſane clariſſimo, Ve neficæ eſſe poſſunt; quas Dæmonibus, & Veneficijs omnium maxime oppletas, non aliam tamen ob cauſſam, ab omni Maleficij labe immunes exi ſtere, vitamq; ſanam, atq; hilarem ducere conſpicimus, quàm ſtabulante Dæmone, & eiuſdem maleficio in pilis, parte totius corporis ignobiliſſi ma. Neq; nouum eſt hoc, aut figmentum ſed anti quũ, & multa experientia confirmatum. Quid.n. aliud putamus ſenſiſſe Domitianum Imperatorẽ, quando Apollonio Thienæo in carceribus, exiſten ti pilos omnes abradi iuſſit: quàm maleficij ac Dæ monis vires, habere Maleficum illum hominem in

illis

illis recunditas, quibus ademtis, facilè & Dæmonis, & maleficij vires superari possent? Id præsenti tempore vsque adeo clarum & vsitatum est, sicuti ex Iacobo Sprenger & Baptista Codrunco atq; alijs colligi potest (quidquid in oppositum sentiat Guilelmus Scribonius, in suo de Physiologia sagarum libello) vt nihil clariùs esse possit; Veneficos scilicet, viros, ac mulieres, carceribus datos, tormentis afflictos, nihil tormentorum sentire, neq; antea ad loquendum aut ad patrata scelera confitenda cogi posse, quàm pili omnes diligenter à corpore sint derasi. Si ergo Sagarum Veneficium apertissimè in pilis latet, quid prohibet quominus dicamus, hanc Polonicam Rabiem esse Veneficium, siue in pilos se recondat, siue malo modo corpus exagitet?

Adde, non esse hanc vnam morbi speciem quæ per pilos manifestata, fascini certa videatur habere argumenta; sed est quoq; morbus quidam Pilaris vocatus, de quo infra plura sumus dicturi, quẽ cum apud varios legerim, & audierim nonnisi à Maleficis mulierculis superstitiosa quadam ratione sanari, vt proximè ab Excellentiss: & Admodũ Reuerendo omni virtutum genere ornatissimo D. D. Belmonte Cagnolo in quadam Lauinia Arimi nensi factum esse intellexi, quæ in superiore labio pilarem hũc morbum iamdiu habebat; Et de aliis plerisq; qui vel in pede, vel in alia parte eundem gestabant, à D. Io: Vrsino confirmatum est. Cogor valde titubare, ne hic quoque Polonicus, eandem habeat causſam, & eo potissimum, quod Plicam hanc in Pocutio quàm facillimè à perditis illis mulieribus, sola superstitiosa curatione quamprimum le-

deuari intelligam.

Neq; verò quispiam dicat, dato nec tamen concesso, posse ex maleficio pilos intricari: non posse tamen aut debere tot, & tam grandia mala fieri, quot & quanta fuere proposita. Etenim, non hæc tantum, sed multo plura, ac maiora Malefici possunt: Qui aliquando sterilitatem matrimonio iunctis, inferunt: lac exsiccant: abortus faciunt: amorem aut odium inducunt: homines dementant: in bruta animantia conuertunt (non tamen mutata substantiali forma) pluuiam, grandinem, tonitrua, fulmina concitant: alienas fruges pessundant, vel alio transferunt, atq; plurima id genus faciunt, quæ nisi à Sacris litteris, Concilijs, Theologis, Philosophis, Historicis, & Poetis, atque ipsa quotidiana experientia, essent confirmata: vix credi possent. Atq; ideo quosdam Medicinæ Professores, satis mirari non possum, qui dicere audeãt, hæc esse somnia, neq; apud Medicos certi quidquam de his reperiri, aut scriptis traditum esse; id circo hæc in libros Medicos haudquaquam interserenda, imò verò omnia ad causas naturales reducenda. Hi enim profectò non videntur mihi legisse Alexandrum Trallianum Libro nono cap. 4. de hac re loquentem, qui scribit, Galenum in eadem sententia, in qua isti sunt, diu persistentem: Palinodiam cecinisse; & in libro de Medica Homerica tractatione ostendisse, quantã habeant vim huiuscemodi præstigiæ. Multominus viderunt Plinium libro xxviij. & xxx. Plutarchum v. Symposiacon Quæstione vij. Constantinum Africanum, Nicolaum Florentinum, Petrũ Apponensem, Marsilium Ficinum, Gasparũ Torellum

rellum, Fallopium, Ludouicum Mercatum, Fernelium, Cardanum, Cornelium Gemmã, Marcellum Donatum, Alexandrum Benedictum, Antonium Beniuenium, Ioannem Langium, alioſque complures celebratiſſimos Medicos, qui veneficijs multum tribuerunt; vt illos omittam qui de hac re ex profeſſo ſcripſerunt, Sylueſtrum Prieriũ, Iacobum Sprengher, Baptiſtam Codruncum, Guielmum Scribonium, atq; alios qui veneficiorum naturam, differentias, cauſſas, ac veneficorum hiſtorias propoſuerunt, cognoſcendi, curandi, præſeruandiq; rationem dederunt. Cum itaq; tantũ poſſint maleficia, & morbus iſte maleficij naturam, ac ſigna contineat, & ex maleficio factus iam vulgo credatur: nil reliqui eſſe videtur, quàm vt eiuſdem mali cauſſam, veneficium eſſe ſtatuamus.

Neq; uerò quiſpiam obijciat, poſſe quidem mala ex veneficio induci, non tamen epidemica. Huic enim reſpondeo, duas potiſſimum ob cauſſas veneficium hoc in Polonia vulgare fieri poſſe. Prima quidem eſt, inſignis maleficarum mulierũ, fortè etiam virorum numerus, qui Regiones illas incoluit, præcipuè Roxolanicas. Nam vbi deſinit verus Dei cultus: ibi debacchatur Diabolus. In Pocutio autem, & in Podolia, frigeſcere admodũ, ac lãgueſcere Sacroſanctam religionem intelligo: atq; ibi veſanos, dementes ac perditiſſimos hoſce homines, vel feminas vſq; adeo abundare, ſiuè ex traditione, ſiuè ex loci natura, vt fortè plures ſint Maleficæ quam Beneficæ.

Dixi ex loci natura, quandoquidem Podolia terminatur ad Euxinum Pontum, vbi olim Medæa Saga-

Sagarum omnium clarissima floruit: vbi venenorum genera mirum in modum crescunt. Hinc Virgilius.

„ *Has herbas, atq; hæc Ponto mihi lecta venena*
„ *Ipse dedit Moeris. nascuntur plurima Ponto.*

Et Tibullus.

„ *Quidquid habet Circe, quidquid Medæa veneni*
„ *Quidquid & herbarum Tessala terra dedit.*

Si ergo tot sunt ibi veneficæ mulieres, si tot veneficia, quid mirum si possunt veneficium inferre cõmune? Legi aliquando apud Liuium libro viij. Decadis Primæ. M. Claudio Marcello. T. Valerio Coss. vsq; adeo multos Romæ tunc veneficiis absumtos, vt pestem ex Aeris vitio factam existimarent: cum tamen res ipsa declarauerit, maleficarum mulierum, opus extitisse. Liuii verba hæc sunt:

„ *Fœdus insequens annus seu intemperie Cœli: seu humana*
„ *fraude fuit M. Claudio Marcello: T. Valerio Coss. Flaccũ*
„ *Potitumq; variè in Annalibus cognomen Consulis inuenio,*
„ *ceterum in eo parui refert, quid veri sit: illud peruelim (nec*
„ *omnes Auctores sunt) proditum falsò esse: venenis absum-*
„ *tos, quorum mors infamem annum pestilentia fecerit, sicuti*
„ *proditur: tamen res, ne cui Auctorum abrogauerim fidem,*
„ *exponenda est. Cum primores ciuitatis similibus morbis,*
„ *eodemq; fermè euentu omnes morerentur: ancilla quædam*
„ *ad Q. Fabium Max. Aedilem Currulem indicaturam se caus-*
„ *sam publicæ pestis professa est, si ab eo fides sibi data esset,*
„ *haud futurum noxæ indicium. Fabius confestim rem ad Coss:*
„ *Consules ad Senatum referunt: consensuq; Ordinis, fides in-*
„ *dici data. Tum patefactum mulie bri fraude ciuitatem pre-*
„ *m.: Matronasq; ea venena coquere: & si se sequi extem-*
„ *plo velint, manifestò deprehendi posse. Secuti indicem, &*
„ *coquentes quasdam medicamenta, & recondita alia inuene-*
„ *runt, quibus in forum delatis, & XX. Matronis, apud quas*

depre-

„ *deprehensa erant, per Viatorem accitis, duæ ex illis Cornelia, ac Sergia, Patriciæ vtraq; gentis, cum ea medicamenta salubria esse contenderent: ab confutante indice bibere iussæ, vt se falsum commentum arguerent: spatio ad colloquendū sumto, cum summoto Populo in conspecto omnium rem ad ceteras retulissent: haud abnuentibus & illis bibere, epoto medicamento suamet ipsę fraude interierunt. Comprehensæ extemplo earum comites, magnum numerum Matronarum indicauerunt, ex quibus ad CLXX. damnatæ.*

Hæc libenter ad verbum transferre huc volui vt ostenderem, quantum ad pernicioſum vulgaremq; morbum producendum possint veneficia. Neq; verò dicat quispiam, hoc extra rem fuisse: Neq; enim Romanarum hanc mulierum potionem, quàm facilè poterant inscijs etiam maritis propinare, aliquam habere cum morbo hoc Pocutiensi proportionem; eo argumento, quod lactentes pueri vexentur, quibus lethalis potio minimè propinari possit. Id namque nihil contra nos facit: cum Veneficia non per potiones tantum, sed & per linimenta quædam à Dæmone naturalium omnium, facultatum cognitore Actiuaq; Passiuis optimè iungente, & quinctam, vt aiunt, veram essentiam extrahente concinnari possint: quæ etiamsi mole exigua, virtute tamen maxima, siue lectulis, aut valuis, siue indumentis eorum qui veneficium patiuntur, affixa vel illita (ipsomet Dæmone clam id exsequente, vel malefico homine id faciente) communissimum & lethalem morbum constituere possint. Et sanè si humano ingenio hæc componuntur, quæ contactu simplici maxima inferant mala, multò facilius à Dęmone construentur. Humanitus autem inuen-

ti veneficij exemplum, apud Dionem Nicæum, & Xiphilinum in vita Commodi Imperatoris habetur, qui scribunt, eo habenas Imperij moderante, Pestem in Vrbe grassatam, quæ una die bina hominum millia interficeret: cum Malefici homines mercede pellecti, res venenis oblitas in alios conijcerent. Ceterum neq; vnus est hic maleficorum agendi modus. Cum enim totus (sic Deo propter hominum peccata permittente) à Dæmonis potestate procedat: concedit ille maleficis, vt dummodo in adorationis signum, certis quibusdam nominibus, aut characteribus, corporibus, ac figuris seipsos adstringant, (qualiacunq; tandē illa sint) siue per contactum, vel sine contactu maleficium infligere valeant. Eligunt autem miseri isti quæq; ridicula, & abominanda vt cortices iuglandum, fructus vel stipites ipsarum, legumina, & plantarum semina, plumbmas artificio quodam insertas, acus, clauos, vitra, ossa, capillos, vngues, pilos; quasdam vestium vel caligarum particulas, ab ægrotantibus desumtas; particulas mortuorum iam sepultorum; & eorum præcipuè qui laqueis suspensi sunt: funium portiones: animum, vel ferrarū intestina, feras ipsas ac præsertim serpentes; characteres quosdam, imagines certas vel plumbeas, vel cereas, vel alterius rei, modo simplices, modo acubus, & clauis transfixas, atq; alia innumera superstitiosa exsecranda Dæmoniaca, idcirco absq; Dæmone nihil virium in se continentia, quibus finem propositum consequantur. Si ergo plurimæ sunt in Roxolania mulieres Maleficæ, si tot sunt modi, quibus infertur maleficium; quid prohibet, quo minus dicamus Plicam quoque istam ex vene-

veneficio fieri? Habebam sanè maximum ad hanc confirmandam argumentum; sed quia mihi omnem superare videbatur credulitatem, illud proferre non audebam; videlicet in Polonia, atq; Germania, non rarò pestem induci à maleficis qui busdam mulierculis, cum primùm defunctæ, & humatæ sunt. Neq; illam antea desinere, quàm inueniatur cadauer, quod vel propria spolia, vel alia propinqua, ore mordicus tenet, quasi esuriens escam auidè quærat. Hæc quę mihi omnem mentis captum superare videbantur scribere non audebam. Cum verò multiplici iam testimonio mihi repetita ac confirmata sint, nunc autem potissimum à Doctissimo D. Ioanne Vrsino Leopolien si (cuius auctoritatem vt potè viri fidelissimi, & scientissimi, in hoc nostro opere sæpius adduximus, qui profitemur, multum luminis hac in tractatione ab eo recepisse) ideo audacter proferre non dubitaui. Rem itaq; D. Vrsinus ipse pro prijs oculis intuitus, sic se habere inquit. Anno Domini supra millesimum & quingentesimum, septuagesimo secundo, Peste per vniuersam Poloniam grassante, cum mulier quædam defuncta ex Pago Rzesna dicto, in suburbanum Leopolienſe aduecta, ad ædem Exaltationis S. Crucis sepulta fuisset: ex illo die pestis, maximè circa illud Templum, desæuire cœpisset: qui sepeliendorum mortuorum curam habebant: non temerè suspicantes villanam illam aliquot ante diebus sepultã, Maleficam fuisse: cadauer suum refoderunt. quod cum nudum, & in ore reliquias deuoratarum suarum vestium habens reperijssent: caput, vt moris est, pala præacuto ferro obducta absciderunt, ex

quo cum sanies atrorubens effluxisset, iterum terra obruerunt: & pestis cessauit.

Hac concessa veneficij facultate, atq; operandi modo, quem multo antea in Germania extitisse, ab Illustrissimo Equite Io. Corrario audieram, dū pro Serenissimo Senatu Veneto apud Cæsarem Legatum ageret: repetitumq; habui proximo Decembris Mense Anni 1599. à piæ memoriæ Illustrissimo & Reuerendissimo Cardinali ac Principe dignissimo Georgio Radzivvil, dum Patauij degeret: quis quæso amplius negare audebit, illas quæ maiora possunt, minoribus perficiendis non sufficere? At verò multò plus est maleficam vnā pestem promouere, quàm plurimas venenatum hunc affectum, qui vera pestis non est producere. Hæc habui quæ pro maleficijs dicerem, non profectò facilè refutanda. Nam si dixero non tam diu perdurare maleficia. Quid prohibet si permanent maleficæ? Si addidero alibi quoq; præter Roxolaniam grassari. At ibi quoq; abundant venefice. Quod aliquid ad hanc infringendam valet sententiam, illud est: Curari morbum istum aliquando sponte sua; quandoq; Erinacei carne, nō nunquam alijs medicamentis, vt ego proximè in D. Taranovvski obseruaui. Adde in illis potissimū fieri, qui in Gallicum propendent: Maleficium verò nullam requirit corporis sympathiam morbosam vt insinuetur: sed in omnes indiscriminatim operatur.

Itaq; cum neq; prorsus reijcienda, neq; omnino amplexanda sit hæc sententia: quatenus reijcitur, meliorem caussam inquiremus: quatenus autem pro parte admittitur; suo loco & tempore pol

lice-

licemur nos quædam remedia propositurõs, quæ maleficijs occurrere possint.

CAPVT XII.

VTRVM CONTAGIVM POSSIT ESSE CAVSSA PLICAE.

TAmetsi Hippocrates, & Galenus, inter cõmunes Morborum causſas, contagium minimè reposuerint; (etiamsi consuetudinẽ cum infectis suspectam habuerit Galenus.) atq; ideo pauca admodum de eo nobis scripta reliquerint: nihilominus successu temporum, tantam esse in solo fomite vim contagij, vt vulgarem morbũ facile possit constituere: varia declarant scriptorũ testimonia, & exempla, quæ apud Fallopium lib. de Bub: pest: cap. 13. apud Thomam Iordanum primo de peste phænomena, cap. 18. atq; alios legi possunt. Hi enim apertissimè testantur sceleratissimorum hominum opera, fomitem quendam contagiosum, ac pestiferum ex cadaueribus peste defunctis, atq; elixatis concinnari (qualis fortè ille fuit, cuius superiori capite meminimus ex Xiphilino in vita Commodi) quo ostiorum pessulos, repagula, manubria, postes, limina, vectes & ligulas illinirent; atq; sic plurimos pestifero contactu interficerent. Atq; Pat. Pestem, quæ viguit anno 1555. non aliunde quàm ex hoc disseminato contagio ortam, non modo apud hosce scriptores legi, sed à parentibus meis non semel relatum audiui. Quod si tantas habet vires contagium in fomite,

quid

quid censendum de viuentium corporum mutuo contactu? profectò hanc ob causſam multò promptius, ac facilius malefica virulentia ac tabes in plurimos se insinuare poterit. Itaque non ab re quispiam statim animo concipiet, Polonicam Plicam ex solo contagio quotidiè ampliorem fieri, qui videat, tàm facilè in Pocutio duos, & tres in eadem domo laborare, qui intelligat, eos qui locum illum attingunt, facilius infici, qui denique sciat, magna ex parte hanc Lui Venereæ copulatã esse, quæ omnium consensione contagiosa est.

Fortè etiam arbitrabuntur quidam, hinc totam contagij vim pendere, qui credant, morbum istum nullam habere à morbo Gallico naturam diuersam; imò verò nil aliud quàm Gallicum Polonicum dici debere; sicuti & Brunus Gallicus, Morauis, & Scorbutus, Hollandis, Zelandis, atq; alijs quibusdam Belgiæ partibus, genere quidem ab Indica Lue diuersus non est: specie autem pro regionis tantum diuersitate apprimè distinctus.

Ceterùm quanquam hæc valde probilia sint: vera tamen credi non debent, neq; ex Magn. Rect. litteris ad nos datis elliciuntur, qui hoc tantum scribit, eos qui Gallicum in morbum propendent, faciliùs capi. Neq; verò id vnquã is docuisset, qui multò meliùs quàm ego Illustriss: illum Capitaneũ Olstinensem nouit, olim hoc morbo tentatum, ab omni labe Venerea immunem; sicuti alios, atque alias ex primo nobilitatis ordine Plica affectos atq; affectas, longè ab omni luis Venereæ suspitione distantes.

Sed esto dicet aliquis, non sit Morbus Gallicus; an propterea non erit contagiosus, & ex contagio epi-

epidemicus? Posset quidem esse: actu tamen non est. Siue enim sermo sit de contagio ad distans, vel per cōtactum aut per fomitem facto: certum est nullum horum in præsentia locū habere posse. Non quidem per fomitem: nam si quis esset fomes: esset ipsamet capillorum Pliça: At verò ego manibus meis Perillustris Matthiæ Taranovvski Plicam abscidi, pluries contrectaui, multis ostēdi, habeo in proprio Musęo, & nunc quoq; plerisque ostendo, nullo tamen mihi, per Dei gratiam, communicato contagio. Sed neq; per contactum fieri, non modo mihi declarat hic ipse D. Taranovvski, qui quotidiè cum multis versabatur: sed potissimum Illustrissimus ille de Ocieśno, quem cùm deterrimè habentem quotidiè serui ac familiares contrectarent: nullus tamen illorum eandē passionem incurrit. At si non fit hæc contagio per fomitem, vel contactum: multò minus potest fieri ad distans. Nam, si de quo magis videtur inesse, & non ineśt: ergo neq; in eo, de quo minus inerit.

Si quispiam obijciat, in vna & eadem domo in Pocutio, plures simul infici: hoc quidem morbū arguit epidemicum, non tamen necessariò contagiosum. Epidemicus catarrhus, qui floruit 1510. & 1581. atq; alijs etiam temporibus, neminem ferè immunem relinquebat: erat tamen sine contagio. Imò verò si Procopio, de Bello Persico, lib. 2. credimus; fuit aliquando pestis sine contagio. Ergo multò magis, poterit esse Affectus iste sine contagio.

Videor iam potiores percurrisse communes causas, in quas Plica referatur: quarum cum nul

la

la omni ex parte placeat: ad alias si quæ erunt, iam nostra conuertatur oratio.

CAPVT XIII.

QVAE SIT VERA PLICAE COMMVNIS CAVSSA.

DVM accuratè admodum, vniuersales huiusce morbi causſas inquiro, tres inuenio prçcipuas; luem Veneream, cibum & potum, atque aeris constitutionem.

Lues Venerea quidem causſa est quamobrem plures capiantur, propter vtriusq; veneni sympathiam à me inferius explicandam; non est tamen causſa communis. AEris autẽ cõstitutio apprimè humida, de qua pariter infra loquemur, ad cõmuniſſimũ hunc morbũ faciendum est aptiſſima; nõ tamen neceſſariò reddit illum venenatũ. Sed error in cibo, & potu, non modo communem efficit hunc morbum: verũ etiã illi propriam, ac ſpecificã tribuit naturam; vim ſcilicet venenatam, à proprietate luis Venereæ, & aliarum omnium quæ antè hanc viſæ ſunt, apprimè diſtinctam. Verſabor itaq́; in hac poſtrema, tamquam magis præcipua, ac proxima, mox vero, & in ceteris. Et quando hanc, duo parere diximus, primum quidem affectum communem, ſecundo illum quoque venenatum, tria hæc ſigillatim exponemus. Primum quidem ex communi cibo ac potu communem fieri morbum; ſecundo hunc non minus ex internis principijs, aliquãdo veneficũ reddi, quàm

ex

ex alia quauis communi cauſſa. Tertio in Polonorum corporibus hoc tempore reperiri commune venenum, intra corpora eorum genitum propter communem uictum, vſqueadeo prauũ, vt & hoc mali genus quo iam vexantur, & alia quoq; deteriora excitare poſſit.

Ad primum igitur me conuertens; etiamſi vt antea dixi morborum communium, Hippocrates ſolum Aerem, cauſſam conſtituerit, nos verò & Sidera, & Maleficia, & Contagium adiderimus: Galenum tamen inuenio non ſemel vulgarem morbum ex communi viuendi ratione, quanquam rariùs, fieri putaſſe. Ideo ſecundo de natura humana, com: 3. ait in AEno, tempore famis, leguminibus veſcentes, inualidos cruribus euaſiſſe: Eruo autem vtentes, genuum doloribus vexatos: quoſdam verò qui ī fame edere coacti ſunt triticum ſemiputre, morbo communi laboraſſe. & olim exercitum vniuerſum, cùm aqua vitiata fuiſſet vſus: in omnibus militibus commune malũ ſenſiſſe. Quod etiam Plinij teſtimonio confirmari poteſt, qui lib. xxv. cap. iij. Germanici Cæſaris exercitum ex aquę fontis cuiuſdam potu, in communem morbũ incidiſſe ſcribit, quo intra biennium dentes deciderent, compagesq; in genibus ſoluerẽtur, Stomacacen Medici vocabant, & Scelotyrbem. Quem eundem affectum Strabo lib. 16. circa finem ſcribit Auguſti Cæſaris æuo, Romano exercitui, ex communi aquarum & fructuum vſu contigiſſe: dum ſub AEliõ Gallo apud Nabathæos expeditionem habuiſſent. Sed ne longius abeam, quantum ſit in mali ſucci cibis communibus vitium, ad procreandos communes morbos: facilè non om-

ninò mente captis declarauit pestis, quæ perplurimas Romano Imperio subditas gentes sæuijt multis deinceps annis continuè, ex solis prauis alimentis; quæ ab arborum fructuumq; germinibus, ac turionibus, bulbisq;: & à stirpium succo malo præditarum radicibus: & ab agrestibus oleribus perperam præparatis, assumta essent. Cuius rei meminit Galenus libro de ciborum bonitate & vitio cap. 1. In quorum confirmationem Iulius Cæsar de bellis ciuilibus testatur, Massilienses graui peste conflictatos; quod in obsidione ob annonæ inopiã vetus panicum, hordeumq; exoletum edere, fame fuissent coacti. Atq; ideo Diogenianus, octaui apud Plutarchum Symposij conuiua, Nihil, inquit, æquè parere nouos, & veteres innouare morbos, ac prauam cibi, & potus, victusque rationem. De primo capite mihi hęc satis esse videntur. Itaq; venio ad secundum.

CAPVT XIV.

VENENVM IN HVMANIS CORPORIBVS GIGNI POSSE.

NOn possum sanè non' mirari Doctissimos quosdam viros, qui cum videant quotidiè in humanis corporibus succos quosdam atq; humores gigni, ea omnia habentes symptomata ac morbos, quæ & medicamentum quoduis deleterium, & morsus omnis venenosus, inferre solet; vt etiam patientem quàm ocissimè extinguant: audacter tamen proferre audeant, ipsa quidem non esse venenum, sed veneno quid simi-

te. Qui profectò, si nihil aliud intelligerent, quàm venenum introgenitum non esse idem specie, cum eo quod morsu infligitur, aut assumitur, vel in aere generatur: permittendi essent. Sed cum ab internis caussis omnem veneni naturam abnegēt: haudquaquam sine refutatione relinquendi sunt. Quæso dicant mihi isti, vnde nam docti sint naturam veneni in aerē, in medicamentis, in feris contenti? non aliud credo dicturos, quàm ex effectis pernicioſis, & exitialibus quos in humana corpora fieri conspiciunt. At si eadem ab interiore caussa fieri intuentur; cur eandem naturam non obtinebunt? Habent omnia easdem proprietates, habēt eosdem effectus, & illa quia extrinsecus adueniūt, venena dicuntur; hęc quia intrinsecus generātur, nequaquam?

In hac classe minimè reponendus est Gale. noster, qui libro de ciborum bonitate & vitio inquit. Neminem ignorare, quantum insit in eo corpore mali: in quo humores in venenosas degenerant qualitates. Et sexto in 6. epid. 5. non tria, sed quatuor constituit venenorum genera: vnum ex feris venenum ictu fundentibus: alterum ex deleterijs assumtis: tertium ex pestilenti Cœlo: quartum quod nos in præsētia proponimus, ex prauis succis in corpore genitis, atq; improbo victu. Quare locus, iste nullum concedit Aduersario subterfugiū. Dicere namq; non valent id quod intro gignitur, venenum non esse: cum quatuor genera veneni recenseantur, eiusdem naturæ ac potestatis. At si dixeris. Id quod intrò gignitur, venenum non est, quia in specie simile non est venenis externis: ego pari ratione dicam, Externa quæ tu vocas ve-

nena, verè non esse venena: quia interno veneno non sunt prorsus similia. Et fortè maior est pro me ratio, vt si dicam: quam pro Aduersarijs. Etenim venenum intus genitum, multò deterius est cùm aut velociùs interficiat, vel diutiùs persistat, quàm morsus ipse venenatus, aut deleterium assũtum. Itaq; si omne venenum nobis à tota substantia est noxium: quod magis erit noxium, magis erit venenum. Internum autem magis noxium est: Internum igitur magis venenum est.

Possent quidem hæc nostra, multiplici eorum experimento confirmari, qui ex veneno ob prauos succos in corpore genitos; vnica vel altera die defuncti sunt, cadauere post mortem liuido facto, nigricante, vario, aut diffluente, putredinemq; molestam olente: sed vnus pro omnibus sufficiat Galenus noster, apud quem hæc legi possunt, 3. intertium Epid. 75. & 2. in primum Prorrheticorum 17. & 6. de locis affect. cap. 5. Quibus in locis quã quam dicat in humanis corporibus causas gigni quasdam, potentia & virtute virus canum rabidorum, & lethalia medicamenta æmulantes: non propterea causas istas negat esse veneficas, imò verò hac ipsa similitudine magis ac magis confirmat. Si dixeris. Simile, non est idem. At Galen. dicit veneno causas similes: ergo non sunt idẽ. Assero, fateor, non esse easdem specie: tamen easdem genere esse. Nam à pari, possem ego quoq; dicere, Morsus venenatus canis rabidi, est similis morsui lupi, equi, muli, asini: tamen non sunt idem inter se. Ergo vnus ex istis non erit venenatus? Sed si venenatos dicant esse omnes istos morsus, ac consequenter in omnibus hisce animalibus venenatam

rabiem

rabiem fieri concedant (vt ex multiplici scriptorũ testimonio concedere coguntur) sanè causſam hãc venenatam humanis corporibus denegare non valent. Atq; ideò non defuere Medicinæ Scriptores, qui existimauerint: non modo venenatas causſas in genere; sed rabiem ipsam, rabidi canis venenum æmulantem, à principijs internis, nullo præcedente contagio, generari posſe. Inter quos Petrus Salius diuersus, & Marcellus Donatus, qui Histor. Mirab. lib. 6. cap. 1. varias rabidorum hominum historias proponit, quos nec canis momorderat, neq; fomes venenatus vnquam tetigerat. Sed quando hæc clariora sunt quàm vt probatione egeant: ad alia transeamus.

CAP. XV.

VENENVM POLONICVM INTRA CORPORA GENERARI, ET TAMEN DELETERIVM NON ESSE.

ETiamsi ex duabus iam propositis, ac confirmatis præmiſſis, vna quidem, venenatum esse Polonicum affectum, altera venenum in humanis corporibus ex communi improbo victu, vulgare gigni posſe; statim sequi videatur, venenum hoc intra corpus genitum esse, cum neq; ex pestilenti cœlo, neq; alijs iam enarratis causſis producatur: attamen quia non absq; ratione posſet quis consequentiam negare, dicens, venena intra corpus genita febres parere pestilentes, has ve

rò aut breui interficere, aut beneficio naturæ, vel artis ſuperato veneno, corpus intra paucos dies ab omni labe, & periculo mundum, ac liberum re linquerè; non autem tot menſes, & annos continuo vexare: ſicuti hic morbus facit. Idcirco, vt omnis ex mentibus ſcrupulus eruatur, & quæcunque ad veritatem hanc apériendam, vel amplificādam facere poſſunt proponantur; præſenti hoc capite explicabimus, venena intra corpus produci quandoq; minimè deleteria; modumq; declarabimus quo tandiu abſq; vitæ periculo in corpore ſubſiſtant. Deinde verò ad rem proximius accedentes, huius veneni cauſſas omnes accuratiſſimè proponemus.

Itaq; cum quattuor ſint cauſſarum maleficarū genera, & vnumquodq; illorum per ſe quandoq; ad necem præſentaneam inferendam ſit aptiſſimū: nihilominus ſi diligenter ſingula perſcruteris, atq; ad examen reuoces, haud difficilè conſequeris, tā varios in illis eſſe gradus, ac tam diſſimiles operandi modos: vt neceſſariò colligas, quædam eſſe venena prorſus deleteria, alia verò minimè, ſed tantum malo quoddam modo corpus ipſum torquentia.

Videat primùm vnuſquiſq; morborum catalogum, quos ſub nomine peſtilentium ex aere productorum, Medici, atq; Hiſtorici retulere: vix vnū inueniet in modo lædendi alteri ſimilem, ſed quoſdam prorſus mortiferos reperiet, vt fuit peſtis A. D. 1348. quoſdam minimè interficientes, vt fuit lenticularis A. 1528. nonnullos medios, vt alios ferè omnes, quos conſultò prætermitto.

In medicamentis pariter deleterijs diſcrimen

eſt

est insigne: dum calida & συντικὰ, breui interficiũt, frigida verò longiore temporis interuallo. illa, quò diutiùs in corpore manent deteriora: hæc verò meliora reddunt̃ur.

Sunt quoq; non pauca in vtroq; genere in medicamenti vsum accepta, vt Elleborum, Cucumer syluestris, Bryonia, Tithymalus, Doronicum, Colocynthis, Scammonia, atq; alia id genus pluri ma, quæ non omninò deleteriam ostendunt naturam.

Nec minùs, inter venenatos morsus, discrimen est: dum vipera quamprimùm necat: rabies canina, menses, & annos plurimos latet: tarantulæ morsus, tripudium infert, sicq; alia, aliud diuersum efficiunt.

Eadem est de venenis introgenitis ratio, neque enim omnia, vt quidam censent, cordi sunt infensa: sed, sicuti videmus in extrinsecis venenis, hoc quidem cordi, illud cerebro, aliud ventriculo & iecori, aliud neruis, vel determinatis partibus esse noxium; vt propterea Ericæ bacciferæ fructus, Cicuta, Hyoscyamus, Mandragora, Opium, mentẽ lædant, stuporem inferant: Lepus marinus, solos pulmones exulceret: Cantharides solam vesicã: ita ex venenis introgenitis, aliud alij parti est infensum, non omnia cordi.

Hinc Doctissimi quidam viri ad hæc introgenita cõuersi, tot esse proprietates deleterias in humano corpore genitas, existimarunt: quot sunt partes, corporis similares, & organicæ. Neq; aliam ob caussam censuerunt ossa apprimè dura corrumpi, & exedi, membranam verò & carnem superpositam minimè; contrà verò ob vlcerum phagedænicorum

nicorum atq; ipsius exulcerati cancri virulentiam, vniuersam carnem depasci, ossa verò intacta relinqui; quàm ex proprietatibus caussarum, à tota substantia proprietatibus partium contrarijs. Hinc videmus auras quoq; gigni venenatas admodum varias. Nonnullas quidem ventriculo noxias, ex quas fiunt diuturni vomitus, vt in Moniali quadam Vrbis nostræ Patauinæ obseruauimus, quæ iam annos ferè quinquagīta cibum assumtum statim reddit. Quandoq; Palpitationes, Syncope, Melancholiæ, cuius exemplum habemus apud Doctissimum Augenium 2. Tomo Epist: Med: Conuulsiones vero & Epilepsię omnium frequentissimæ; de quibus Galenus, atq; alij post ipsum plurimi, multa dixerunt.

Itaq;, quando nos venenum hoc Polonicum, intra corpus gigni dicimus: non illud apprimè deleterium, & cordi præcipuè infensum, sed moderatum, alijsq; potius partibus noxium esse volumus. quod quamobrem fieri possit, statim quisq; intelliget, cum eiusdem Materiam proximam, & remotam, Effectricem caussam, Locum, Proprietatem, & Modum agendi consecutus sit. Quod statim facere aggredior.

CAPVT XVI.

DE PROXIMA HVIVS VENENI MATERIA.

NVlla profectò est incorpore substantia, siuè ex contentis, siuè ex continentibus, siuè ex impetum facientibus: quæ aliquando veneni subiectum esse non possit. Sic .n.

in

in Cãgræna,& Sphacelo, in Phagedænis malignis, atq; in omni ossis carie virulenta: contenta, videmus veneno subiecta. In omnibus putridis pestilentibus, maligniſq; inflammationibus, ac defluxionibus, humores: In quibusdam epilepsiis, conuulsionibus, palpitationibus alijsq; id genus affectibus auram tenuem consequentibus: partes impetum facientes.

Nostrum itaq; hoc venenum, vt puto, habet p immediato subiecto, corpus impetum faciens; cũ velociter huc, atque illuc moueatur, temporisque momento transeat in capillos,& à capillis vicissim in corpus relabatur. Cum præterea referant ipsimet patientes, se quasi auram quandam per singulas ossium membranas discurrentem sentire: atq; hinc modo anteriores musculos, modo posteriores irritari, contrariasq; inter se cõuulsiones effici.

Cùm autem ex corporibus impetum facientibus sint spiritus, flatus, vapores, fumosaq; ac suliginosa corpora; non est venenum hoc in spiritibus vitalibus, quia venenati isti spiritus necem inferũt præsentaneam, aut si mitius fuerit venenum, saltem Palpitationis, ac Syncopes sunt auctores. Neque est in Animali; quandoquidem functiones principes, insigniter lapsæ aut prauæ conspicerentur: & motus qui in præsenti casu praui tantum sunt, aboliti esse possent: sensusq; omnes interni, atq; externi stupore affecti, otiarentur.

In spiritu naturali residere non inficior, si naturalis spiritus nomine vaporem sanguinis intelligamus: de quo mox dicam. Interim decerno, flatum non esse huius luis subiectum, vtpotè qui frigidus,& siccus, omniq; vnctuositate carens, nullã

habeat cum cirris, furfuratione, pediculis implicatione, affinitatem; cum quibus tamen illud corpus coniunctionem habere debet, quod præsentis veneni futurum sit subiectum: posteaquam his iam apparentibus, veneni interni affectus grauiores statim desinere intelligimus. Quæ igitur tandē erit hæc materia? Non sanè alia quàm illa ex qua cirri, furfuratio, implicatio, ac pediculatio producuntur. Itaq; videndum quænam horum omniū sit materia, à Cirris sumto initio.

CAPVT XVII.

DE CAVSSA CIRRORVM.

CApillorum Cirros siuè cincinnos aut crispitudinem, ex triplici causſa fieri posse, apud Aristotelem & Galenum inuenio. vel ex ingenti siccitate, vel ex inæquali intemperie, vel deniq; ex meatus tortuositate.

Quidquid autem sit de hac postrema causſa, quā ad examen reuocare nolo, habeat ne aliquando locum, vel nō; hoc saltem decerno, in præsenti casu reijciendam esse; duasq; priores accipiendas, siccitatem scilicet, atq; inæqualem intemperiem. Et insignis quidem siccitas, à suliginoso fit corpore pilos petente; quod propterea Galen. 8. meth. 5. substantiam vocauit assam vstamq;. Inæqualis vero intemperies fumosum sequitur corpus; quod cum ex eodem Gal. citato loco terreum sit aqueo commixtum, non tamen sine ignea facultate genitum; idcirco quatenus est caliditatis particeps, ascendit; & recta linea incedit; distractum vero, &

à terreo humido impeditũq; , quasi iterum descendere cogitur; vt hinc crispitudo ex duplici hac causa sequatur. Sic enim extrinsecus quoq; non raro corpora quædam, pilos videlicet, vel alia id genus plura igni appropinquata primùm incrispari, deinde verò comburi videmus. Alia verò humidiora, vt virgulas, aut virentia folia calorem vstiuum patientia, flecti. & incuruari, conspicimus, vel humore exiccato, vel inæqualiter moto.

Est ergo cirrorum caussa proxima duplex, exsiccatio à fuligine, inæqualisq; intemperies à fumosa substantia. Quorum materias mediatas, effectrices caussas, locum, modumq; generationis inferius exponemus. Nunc autem ad furfurationem transeo.

CAPVT XIIX.

DE CAVSSA FVRFVRATIONIS.

POst Cirros, Furfuratio succedit, quam Græci πιτυρίασιν, Celsus & Serenus Porriginẽ vocant, nonnulli squamas capitis & furfures, vulgus in Polonia Tineam vocare, Magnificus Rector Zamoscienſis in sua Epistola nobis significauit. Verum nunc, omissa nomenclatura vulgi, quòd sæpè fortuitò, vtq; forsitulerit, morbis nomina imponit: de furfurationis caussa dicamus. Ex Ichoribus gigni affectum istum Auctor est Galenus primo de compositione per locos. Quamquam Paulus, Auicenna, atq; alij, humores esse putauerint. Ego verò neq; humores, neq; ichores (sub ichoris forma) Furfuratio-

nis causſam puto, ſed potius vapores; ex ichoribus quidem genitos, acreſq; & ſalſos, qui cum primũ in Epidermidem deſinunt, partem non ex ſemine, ſed ex humido aqueo, craſſiuſculo tamen ac pingui excremento genitam abſcedere faciunt, & corrumpunt, ac facilè in furfures conuertunt. Quòd ſi ſub ſeroſæ humiditatis ſpecie eo confluerent, ſudores potius, quàm furfurationem facerẽt. Quamobrem verò ſalſi iſti acreſq; vel vapores, vel ichores abundent, ſuo loco explicabimus. Tranſeo igitur ad Pediculos.

CAP. XIX.

DE CAVSSA PEDICVLORVM.

DVm de pediculorum cauſſis ſermonem inſtituo, cum maximam intelligam adeſſe eorum copiam, libenter audiſſem, ſint ne tantùm legitimi ac benigni pediculi, an potiùs ſpurij, ac maligni, quod genus Ariſtoteles ἀγρίων vocat. Quidam Morpiones, alij plactas, vel plactulas appellant. Scaliger, ricinos dicit. Neq; verò abſq; cauſſa id quæro. Nam ſi ibi ſit Plica, vbicunq; ſunt longiores pili, capite inquam, barba, axillis, pube: & vbi Plica, ibi quoq; pediculi eſſe debeant: in barba certè, axillis, & pube morpiones potius, quàm pediculi degunt, (ni φθείριασιν intelligas, ſiuè pediculationem in toto corpore, de qua ſcio nullam eſſe ſuſpicionem) Vtcunq; res habeat, non recedens ab Epiſtola Mag. Rectoris, mihi ſupponam pediculos eſſe benignos, atque eos in capite tantum produci

duci, & cõtineri, non autem alibi. Quòd verò ad eorum materiam pertinet, maximam inuenio apud scriptores controuersiam, dum alij ex sanguine corrupto, ac putrido, vt Theophrastus: nonnulli ex calidis humoribus, aut malis succis, vt Galen. Auicenna autẽ ex pituita, Serapio ex humiditate calefacta, Azarauius ex putrido humore, Halyabbas ex humiditate grossa, Aristoteles verò ex carne gigni dixerunt. Et quamquam Marcellus Donatus Aristotelis locum aliter fuerit interpretatus, qui illud. *Ex carne*: non ad materiam, sed ad locũ refert: ego tamen ab Aristotele de Materia dictum puto, qui existimo ipsum veriorem, ac proximiorem tetigisse caussam ceteris omnibus. Neque enim illi proximam explicant materiam, qui dicunt grossum humorem, aut putridum, aut calidum malumue succum, pediculos gignere: Cum ex consimili materia alij plures fiant morbi absq; pediculis. Ex carne verò non facilè inuenias aliã fieri affectionem. Per carnes autem illas intelligit quæ sunt in corporis ambitu, in quibus cum secundæ illæ reperiantut humiditates, quas Auicenna aliquando ros, gluten, & cambium vocauit; ex ea quàm cambium vocant humori excrementitio pmixtã, pediculos fieri existimo. Cõfirmatur: quia non omne animal ex quacunq; materia fit, sed ex determinata, determinatum. Itaq; pediculi materia erit, aliquid in se habens calidi innati, & illius quidem lenti, & pinguis, vt ex eo animal quoque lentum, ac pingue gigni possit. Et, cum tria sint præcipua animalium genera, quæ in humani corporis ambitu, vel extra corpus, ex humanis tamen genita excrementis, generatori sunt infensa: Pulices,

ces. Cimices,& Pediculi, tres quoq; oporteat esse diuersas materias, ac generationis locos Vt propterea Pulices ex sicco fiant excremento, Cimices autem ex humido aqueo, atq; hæc extra corpus: Pediculi verò ex humido pingui pituitæ cõmixto,& semiputrescente sed intra corpus. Confirmatur, quia sicuti ex eadem carne humana iam mortua fiunt vermes maximi, & ex boumа, apes, ac vespæ, & ex quacunq; semiputrida parui vermiculi, qui humiditatem hanc ipsius carnis pinguẽ omni ex parte redolent; ita ex eadem humiditate semiputrescente in viuentibus corporibus gignentur pediculi, qui si aliquando plurimum abundẽt, sicuti in morbo pediculari vocato contingit, mors ipsa miserandum in modum succedit: vt Alcmeoni Physico, Pherecidi Syro, Syllæ, Ennio, &, vt nonnullis placet, Platoni, euenisse legimus, pediculis ipsis non pituitam excrementitiam, sed humiditatem alimentalem partim in ipsa generatione absumẽtibus, partim verò post generationem pro sui alimento depascentibus. Adde quòd, cũ vermium in cute apparentium varię sint differentiæ, vt Ricini, Syrones, siuè Pediculi, Flaminiæ, & Piceno familiares, Dracunculi Ethyopiæ, atq; alia id genus nonnulla, quibus omnibus proprietas quædam materiæ tribuenda est; nullam pro pediculis gignendis hac ipsa aptiorem inuenias, propter quàm tam frequenter pueri, ac mulieres pediculis tentantur; quod huiusmodi ętas, & sexus omnium maximè vtraq; abundet humiditate. Ex qua etiam in pingui caseo vermiculos gigni censendum est.

Expositа pediculorum materia, simulq; loco, causſa

cauſſa effectrix iam innoteſcit, quæ calor eſt triplex, cœleſtis, innatus partis, & qui ex materia ſe miputrida digeritur. Atq; iam patet quam ob cauſſam in hoc morbo Polonico pediculi tantopere luxurient. Si enim fiunt ex parte humidæ, ac pinguis ſubſtantiæ ipſius carnis; dictum iam antea à nobis eſt, abundare multum huiuſcemodi ſubſtantiam in toto corporis ambitu; declaratæq; ſunt abundantiæ cauſſæ, vt propterea nullus relinquatur dubitationi, aut quæſtioni locus. Itaq; ad vltimum tranſeo, implicationem ſcilicet.

CAPVT XX.

DE CAVSSA IMPLICATIONIS.

EXpoſita quidem fuit circa huius diſputationis initia complicationis pilorum cauſſa proxima: diximuſq; illam nihil aliud eſſe, quam ſubſtantiam humidam, pinguem, & viſcidam: ſed non propoſitæ fuere illius materiales, vel effectiuæ cauſſæ, non locus, vnde, & quomodo hæc in capillos, aut pilos flueret. Itaq; hoc tempore accuratè omnia ſunt explicanda. Multa quidem video pro hac inuenienda in medium proferri poſſe; audioq; iam plurimos, qui ſtatim ad vitioſos duntaxat humores confugiant; ſed nihil prorſus dicunt.

Nam praui ſucci vel erunt ichores, vel humores: & hi vel ſub propria forma, vel in vaporem conuerſi. Ex vaporibus quidem; vel fit inſenſibilis tranſpiratio, vel ſi acriores fuerint, furfuratio. Ex Ichoribus autem ſub propria forma remanen-

tibus.

tibus sudor. Si dicas esse humores, qualesnam erunt isti? non salsi, quia ex his Alopecia & Ophiasis: non pituita dulcis simplex, quia ex hac fit Canicies: non humor melancholicus, quia ex hoc Tineæ Arabibus Assaphati siccum; non sanguis, aut bilis, quia ex his inflammationes & Erysipelata. neq; sunt mixti, quia ex horum varia mixtione, Achores, Faui, Psydracia, Sycoses, Exanthemata, Helcydriaq, fiunt. Fortè dices humores iam connumeratos esse, sed valdè corruptos: At ex valdè corruptis fiunt capillorum defluuia; præterquam quod in nullo istorum, pinguedinem inuenias, quæ ad pilorum agglutinationem faciendam sit apta: At verò in definitione Plicę ab initio proposita dictum, confirmatumq; est, arctam hanc pilorum inuolutionem, vel inuiscationem, à lento, viscidoq; humore proficisci: Erit ergo vnctuosa materia; non quidem corpulenta, quia per poros insensibiles non educeretur, & capillis herens facilè ex colore, & crassitie seipsam promeret; est itaq; vaporosa, tenuis, sed oleosa, ac propterea pilis imbibita, & inuoluta agglutinationis, atq; indissolubilis istius plexus caussa. Ceterum vt clarior res ipsa reddatur, reliquum est vt ostendamus quomodo, in corporibus Polonorum hæ materiæ abundent; vt quæ hactenus ressolutiua methodo inuenta sunt, etiam à priori confirmentur. Quòd quidem præstabimus, si altiùs sumto initio, tria exsequamur, primum vt generalem fuliginis, fumi, ac vaporum naturam, & differentias proponamus. Secundo vt singillatim explicemus, quasnam materias; effectiuasq; caussas esse arbitremur quæ in hoc ipso morbo locum habeant.

Tertio

Tertio, vt deinde ostendamus, reuera nunc Polonorum corpora hæc in se continere.

CAPVT XXI.

QVAE SINT CAVSSAE FVMI, FVLIGINIS, AC VAPORVM OMNIVM IN GENERE.

EST ergo Fuligo corpus tenue, nigrum siccissimum, atq; (perseuerante effectiua caussa quæ calor exurens est) calidissimum, ex oleosa, vel pingui materia exusta genitum.

Fumus autem substantia est pariter tenuis, nigra, ex terreo aqueo commixta, à calore vstiuo in materiam pariter terream humido commixtam operante.

Deniq; vapor nihil aliud est quàm humor extenuatus. Fuliginis & fumi genus ac subiectum proximum, habemus à Galen. 8. meth. 5. propositum: Materiam verò remotam, & Effectiuam caussam apud Arist. atq; eundem Gal. inuenio. Apud Arist. quidem 4. Meteororum sic scribentem.

„ *Ipsius autem pinguis exhalatio, fuligo.*

Apud Gal. verò, qui 8 de vsupartium c. 5 inquit.

„ *Sicut enim extra corpus è lucernis, & facibus, aliisq; huiuscemodi pinguibus rebus exire fuligo consueuit; ita etiam* „ *in animalium corporibus sæpenumero fit, vt torrefactis humoribus, ac præcipuè pinguibus, fuligini simile quid* „ *generetur.*

Confirmat autem hanc fuliginis ex pingui generationem, atramenti copia, quo Typographi ad impressiones vtuntur, quod ex fuligine ab oleo de semine lini extracta conficitur: vt quotidianā præ

termittam experientiam, qua quotidiè cernimus, ex oleo, sæbo, cera, pice, &c. id genus accensis, nigram fieri fuliginem. Fumi quoq; materiam mediatam ipsi immediatæ respondentem, terrestrem scilicet humiditati coniunctam: expressit idem Aristoteles dum loco citato inquit.

„ *Est autem lignei quidem corporis exhalatio, fumus. Dico*
„ *autem & ossa, & pilos, & omne quod tale est in eodem.*

Neq; verò miretur quispiam, fumū, qui aliquid humidi in se continet ex sicciore fieri corpore: fuliginem verò, quæ ex sola humida materia generatur, siccissimam esse. Nam quòd faciliùs exuritur, faciliùs etiam exsiccatur; pinguis autem substantia sicuti promptè accenditur, ita facilè exuritur. Non sic terrea humido commixta, in qua dum humidum contra igneam facultatem reluctatur, atq; vno, & eodem tempore ex sicco, siccum, ex humido, humidum extrahitur; mixtum quoque corpus exsurgere opus est.

Itaq; iam patet, qualis sit fuliginis, ac fumi natura; quę tota in igneo, & exurente calore est posita, siuè terreum humidum exurat, siuè humidū pingue, & oleosum. Ad vaporem ergo transeamus.

Vapor autem cum sit, ex primo simpl. 8. humor quidam extenuatus: forma, subiecto proximo, ac caussis efficientibus à prioribus longè distat; etiam si in remota materia cum his conuenire possit.

Differt quidem forma. Etenim nunquam aut niger, aut actu siccus vt fuligo, reperiri potest, plerumq; verò calidus humidus, vel frigidus humidus est: nonnunquam oleosus, vel pinguis, siuè vnctuosus redditur. Idcircò differt materia, quia

neq;

neq; fuligo, neq; fumus, ex aqueis, pituitauè frigi da humida generantur, ſicuti vapor iſte.

Sed omnium maximè differt efficiente cauſſa, quia illorum quidem ignea, & exurens eſt: huius autem ſuauis, & blanda; vel ſi ignea, per mediū quoddā in humorem illum agit, q̃ in vaporem ſol ui debeat. Sicuti enim in extrinſecis corporibus vaporem fieri videmus, aliquando ab aere, vel aqua, alioue liquore calefacto, quandoq; verò ab igne quidem, ſed per medium cacabum, aut aliud quoduis inſtrumentum ęneum, vitreum, vel ſtanneum, vt in elixatione, deſtillatione, & eliquatio ne cõtingit: ita & in humanis corporibus, vapores progenerantur ab eodem calore, eodemq; modo quem iam expoſuimus operante. Hæc pro explicando primo à nobis propoſito, quantum ad præſentem tractationem pertinent, ſatis eſſe poſſunt.

Ex quibus ſtatim colligitur, quid de ſecundo ſentiendum ſit, de inuenienda ſcilicet certa, ac determinata horum corporum materia, non amplius in genere, ſed in ſpecie. Itaq; Fuliginis materiam dicemus eſſe vel ſanguinis oleoſam partē, vel pinguedinem exuſtam, vel vtrunq;. Fumi verò ſubiectum eſſe, melancholicum, bilioſumq; humorem, aqueo commixtum. Vaporis autem acris, vel bilem flauam, vel atram: ſalſi, pituitam ſalsā: dulcis verò, dulcem: & calidi humidi oleoſi, ac pinguis, ſanguinem ipſum pariter oleoſum, ac pinguē, non exuſtum, ſed quaſi elixatum, vel colliquatum. Hæc multò clariora ſunt quàm vt longiori demonſtratione probari debuiſſent: iccircò nobis demonſtrandum, quomodo, ac propter quas cauſ

sas in corporibus Polonorū, hęc iam relata, adhęc omnia producenda vsqueadeò apta reperiri possunt. Nos itaq; ad id probandū accedimus, eritq; tertium id quod à nobis propositum est.

CAP. XXII.

QVAS OB CAVSSAS MATERIALES, ET EFFECTIVAS, POLONORVM CORPORA, PRAEDICTIS REDVNDENT EXCREMENTIS.

POlonorum corpora pingui, oleoso acri & salso, præterea verò & humido vapore, fumoq;, & fuligine abundare: nemo qui etiam mediocriter cum illis versatus sit, facillimè non videat, ac causſas statim non consequatur. Primùm enim vtuntur Poloni multò cibo, atq; equidem percrassi, ac multi alimenti; vt propterea accedente corporum calore valido, copiosissimus gignatur sanguis, atque ille quidem oleosus, ac pinguis. Ad cuius proportionem si cuncta expurgarentur corporis excrementa, fortè inculpatam degerent valetudinem: sed quando iam certò scimus, in mulieribus quæ omnium frequentissimè vexantur, menstruas, aliasq; consuetas sanguinis eruptiones retineri, fortè etiam alia, præcipuè verò quotidianum atque insensibilem totius corporis effluxum cohiberi; quantum hæc ad augendas prædictas affectionum materias, accedente potissimum vita in multis otiosa, & sedentaria, facere possint: nemo, etiam in arte mediocriter versa-

tus

tus, non nouit. Ceterùm quanquàm plenior victus ratio, non modo sanguinem augeat, sed & pituitam, suffocato nonnumquam calore innato à nimio ciborum pondere: aliæ tamen prouentus pituitæ possunt esse causſę: vt aeris conditio ex regione, & constitutione, esculenti cibi, & potus, importunus & inordinatus eorundem assumēdi modus. Quæ omnia, atq; alia id genus plurima, Polonis esse familiaria minimè vereor, qui aliquando dum hic Patauij nobilissimum quēdam Lithuanum curarem: audiui illum referentem se in Polonia pleno iam ventre, in vltima mensa, cammaros fluuiatiles trecentos non semel comediſſe. Sed ipsi, & huius, & aliorum id genus errorum optimè fuerint conscij. Et hæc ad materialem causſam augendam pertinent.

De effectiuis autem propter quas fumosa, suliginosa, & vaporosa acris, salsaq; augeatur substantia, quid dicam? potest nè aliqua excogitari, quæ apud illos non sit in vsu? Vina plurimi bibunt meraciſſima: neq; limitatus est bibendi modus, aut certum compotationis tempus, sed in illis Hypocaustis, totos dies ac noctes aliquādo in Conuiuijs suis consumunt. Quantum verò possit vinum ad calidos, suliginosoſq; vapores inducendos, nō vt efficiens tantum, sed vt materia: docent ipsæ vertigines, conuulsiones, capitis dolores, melancholia iocosa, aut furiosa, aurium tinnitus, oculorum phantasmata, atque alia id genus plurima. Confirmatq; ratio. vinum enim pinguedine quadam non carere: docuit quarto Meteororum secundo Aristot., cum vinum dulce inquit exhalare. pingue enim esse; quod est dictu, in suliginem verti posse.

posse. Audio statim aliquem ex illis Podolien-sibus dicturum, Vinum se non bibere, & omnium miserrimè cruciari? Verùm est; vinum non bibis; at bibis tuum illum medonem, siuè mulsam non quidem dilutam, sed generosam, quæ non minus caput ipsum atq; vniuersum corpus vaporibus re-plet, quàm merum ipsum. Mel enim calidum, ac pingue, & ex consequenti materiam fuliginis esse: docuit Galenus sexto in sextum Epidem. qui cū videret Hippocratem materias ex quibus calida gignuntur excrementa his verbis proponentem,

„ *Et quibus quidem pingue, bilis flaua, quibus verò san-*
„ *guis, atra*:

docet ipse in commento, pingue non solùm de vnguinoso, & adipali, sed etiam de omni dulci dictum esse putandum: vt eo sermone mel conti-neatur, & Siræum, quod epsema, hoc est sapam in Asia Græci vocant. Quòd si alij dicant se nec vi-num, nec mulsam bibere: ad id quòd deteriùs est confugiunt, ad Cereuisiam, ad Aquam ardentem, quàm ipsi vinum crematum, & aquam vitæ appel lare solent, eiusq; integra vitra hauriunt; vt mihi magis mirandum sit, quomodo totum corpus nō ardeat: quàm quòd fuligine, fumis, atq; vaporibus calidis abundet. Non est autem hæc vnica gignē dorum fuliginosorum excrementorum caussa, sed aliæ accedunt quoq; non spernendæ; præcipuè ve rò aromatum copia, qua vtuntur Poloni in ciborum condimentis, vsq; adeò excedente: vt plus cō sumat aromatum vna domus Polonorū, quàm de cem Italorum. Quantum verò faciant hæc ipsa ad fumorum generationem, & capitis repletionē: docuit Galenus v. Aphorismorum 28. atq; ipsa con-

confirmat quotidiana experientia. Ex istarum verò materialium & efficientium caussarum concursu: quis non videat præter cætera atram quoq; bilem augeri posse? Significant hoc verba Hippocratis paulò ante relata. *Quibus autem sanguis, atra*. Hoc enim vult Hippocrates, quòd etiam pluries docuit Galenus: in sanguinis copia, accedente calore vstiuo, atram gigni bilem. Vt propterea ex iam dictis pateat, quomodo in corporibus Polonorum oleosus sanguis ex quo fuligo, & vapor vnctuosus; & terrestris substantia, ex qua fumus; humidaq; tam calida, quàm frigida materia, ex qua vapor accedente caussa effectiua gigni, & conseruari possint. De materia omni, tam proxima, quã remota, ac generationis modo, & caussis hæc satis. Ad locum transeo.

CAPVT XXIII.

DE LOCO AFFECTO.

AD dignoscendam symptomatum quæ in Plica conspiciuntur naturam: nihil magis confert quàm loci affecti, & venenatæ proprietatis notitia. Etenim ad proprium quemq; affectum locum, propria sequuntur symptomata: ad veneni verò proprietatem, plurima simul fieri possunt. Itaq; partim methodo resolutiua, partim compositiua, locum patientem indagabimus; demonstratiua verò, proprietatem hanc veneni specificam. nam genericam superiùs via resolutiua pariter inuenimus.

Primùm autem locus affectus, sunt necessariò

arti-

articulationum loca, posteaquam dolores articulorum excitantur: sunt periostia, cum dolores ossium frangitiui maximè torqueant: sunt tendinosæ, neruosæq; partes, cum fiant conuulsiones, & laxationes: sunt vertebrarum ligamenta, cum gibbositates excrescant: sunt cerebri menynges, & quia dolores capitis interni affligunt, & quia per easdem, materia ad oculorum tunicas, vel humores mittitur, vt cœcitatem, fortè & alia id genus nobis non communicata, pariat: est pericranij, quòd dolores externi facilè ostendunt, & opthalmia, qua hos aliquando vexari audio: est cutis ipsa, cum quatuor illi cutanei affectus succedere cõ sueuerint, quos paulo antea recensuimus.

Itaque ab effectu iam patet, qualis sit locus affectus, quem à priori quoq; confirmare licebit hoc argumento. Illi debent esse propositorum excrementorum loci, in quibus ex proprio naturæ instituto, vel per modum generationis, vel transmissionis colliguntur. Sed tales erunt ambitus totius corporis, ac caput. Ergò in his duobus colligentur hæc excrementa. Maiorem tamquam claram supponimus, Minorem ex Galeno probamus, qui nõ modo primo de tuend. val. 12. sed & alibi docuit, in tertia coctione quæ cunctis determinatis partibus est deputata, duplex colligi excrementum, tenue vnum, crassum verò alterum, quòd sanè nõ aliud, quàm fuliginosum, fumosum, vaporosumq; à nobis propositum est. Inter determinatas autem partes, in quibus tertia perficitur coctio, carnem quoq;, membranas, ossa, neruos, tendines, ligamenta, cutemq; ipsam reponi, nemo ignorat.

Ceterum non per generationem tantum, sed &

per

per transmissionem colligi circa hæc loca, tenue crassumq; excrementum, in visceribus, & venis genitum, illis haud dissimile quod in tertia coctione procreatur; declarat tota Medicorum schola, quæ docet, caloris cordis, venarum, atq; arteriarū totius corporis symetriam, ex insensibili illo transpiratu conseruari, qui per inuisibiles totius cutis meatus quotidiè fieri consueuit. Quo sublato, aut plenitudinem sequi si suauis fuerit: aut si acrior, & mordax febrem, aliamue cutaneā affectionem. De capite verò quid dicam? nonnè cuiq; apertissimum est, caput ideò in eminenti corporis parte repositum, atq; camino ignis comparatum esse, vt infernorum locorum vapores susciperet, ac suligines per futuras, ac cranij porositates euacuaret? Lippis atq; tonsoribus hæc nota sunt. Iccircò iam huic capiti de locis patientibus fine imposito, quædam dubia dissoluemus, deinde verò ad effectiuas causas transibimus.

CAP. XXIV.

PROPONVNTVR QVAEDAM DVBIA, ET SOLVVNTVR.

PLurima quidem circa iam dicta non ignoramus occurrere dubia, quæ omnia inferiùs attingemus, ac pro viribus dissoluemus: nunc tamen, nonnulla quæ propositam de loco affecto sententiam, impugnare videntur, statim refellenda esse iudicauimus. Dicet enim quispiam, si tertiæ coctionis excrementa sunt hęc, quæ

Polonicum constituunt affectum; cur in toto retenta, non magis vsitatos illos affectus pariunt, quos hactenus semper feciſſe visa sunt, vt scilicet, si fuliginosa fuerint, pilos mirandum in modum multiplicent, & corpora in modum canis villosa reddant? quòd aliquando se vidiſſe scribit Realdus Colūbus de Re Anat. lib. 13. cap. 2. & Scaliger exercit. 114. nu. 2. Si verò vaporosa, non potiùs in sudores transeant, vel naturales, vel saltem naturalibus omninò contrarios (Dico naturalibus contrarios, quia Dioclis sententiam non accipio, existimantis sudores omnes præter naturam esse) copiosos scilicet vltra modum, fœtidos, vnctuosos, pingues, flauos, liuidos, quandoq; cruentos, fortè etiam nigros? Si verò salsa, acriaq; fuerint, vel mota, vel immota, vel pauca, vel multa, cur Psoras, Lepras, Impetigines, Elephantiases, pruritus, pustulas, aliaq; id genus non faciunt? sinè salsedine, verò & acrimonia, cur leucē vel alphos non inducūt?

Non minor est de capite dubitatio. Etenim fluentibus in caput vaporibus, communiter videmus vertigines, tinnitus aurium, melancholias, epilepsias, oculorum phantasmata, aliaq; id genus fieri, à Plicæ sympt. nonnihil distantia.

Hæc quæ negotium facere videntur: si ad hactenus dicta animum conuertamus, statim spontè sua cadunt.

Quamquam enim vnus sit corporis ambitus, atq; vnicum caput: tot tamen sunt in his particulæ, tot spatia inania, vt ex horum diuersitate, accedēte veneni proprietate, tota ferè symptomatum differentia pendeat. Itaque fateor quidem ex his ipsis excrementis pilos, sudores, cutaneasq; omnes

nes affectiones fieri; imò verò nonnulla ex his in Plica quoq; conſpici conſueuiſſe, antea nos oſten dimus. At membranæ ſiue cerebri, ſiue oſſium; nerui, tendones, ligamenta, articulationum loca, à cutè longè diuerſa ſunt: iccircò longè alios affectus promouere valent. Nec minus diſtant cerebri inuolucra ab arterijs, venis, ventriculis, ſubſtantjaq; ipſa: vt propterea determinatos quoſdã affectus, à nobis propoſitos adducere valeant, non illos, qui ad infringendam noſtram ſententiã obijciuntur.

CAPVT XXV

DE CAVSSA VENENI EFFECTIVA.

DVM à loco, ad effectiuam veneni Podolienſis cauſſam me conuerto; ante omnia neceſſarium eſſe duco, propriam exprimere materiam, in qua occulta hæc proprietas primo, ac per ſe introducatur. Etenim quanquã antea dixerimus, huius veneni ſubiectum eſſe fuliginem, fumum, vaporemq; acrem, & ſalſum, deniq; vnctuoſum, ac pinguem: tñ non in omnibus primò ac per ſe veneni forma introducitur, ſed in vapore primario, in reliquis autem per communicationem.

Etenim cum intra humana corpora, non poſſit venenum produci abſq; aliqua putredinis, vel corruptionis ſpecie, quæ tamen non deſinat in elemẽta; fuligo omnium ſicciſſima, & fumus quoq; val

dè ſiccus, non facilè abſq; totius ſubſtantiæ diſſolutione corrumpi poſſunt. At vapor ipſe actu humidus, & præcipuè pinguis, & oleoſus, ad hanc putredinem ſunt valdè accommodati; ille quidem ad communem, hic verò ad ſpecialem quandam, rancidam vocatam, cunctis oleoſis, vel pinguibus propriam, quam ego, vſqueadeo primùm hoc in caſu locum habere puto: vt ex hac vna, ſicuti inferius abundè exponam, tanti affectus malignitatẽ, ac perſeuerantiã produci credam. Itaq; ſi in vapore pingui, vel vnico, vel maximè, primò ac per ſe venenum generatur, in cetera verò corpora ideò inferitur, quia illi commixta, ac confuſa ſunt: reliquum eſt, vt cum effectiuam cauſſam inquirimus, ad unicam pinguem hanc ſubſtantiam ſermonem conuertamus.

Cum verò effectiuam veneni cauſſam dico, illã non intelligo, qua proximè poſita ponatur veneni forma, qua ſublata, tollatur. Cum enim veneni eſſentiam, in proprietate quadam ſubſtantiæ, ſiuè forma ſubſtantiali, aut ſpecifica, reſidere non ignorem, quæ tota ſpecies, & ſubſtantia dicitur; quis hanc ſe nouiſſe profiteatur? Nemo ſanè, quomodo enim occulta, ſi nota? Cauſſa ergò quoq; proxima, ignota eſſe debebit. Itaq; nos in præſentia de veneni cauſſis dicturi, mediatas tantùm attingemus, quæ ſcilicet materiam duntaxat ad ſuſcipiendam veneni formam reddunt diſpoſitam. Tres autem in hoc caſu præcipuas eſſe inuenio; alteriùs veneni ſimilitudinem; defectum caloris innati; & abundantiam extranei. Hæc ſimilitudo veneni eſt propter Luem venereã: quæ tamen in quibuſdam tantum locum habet, & cum hoc morbo

Pocu-

Pocutiensi in tribus communicat, in materia, in proprietatibus, in instrumento. In materia dupliciter, primò quia etiam morbi Indici subiectum proximum, & immediatum est substantia potius tenuis, quàm corpulenta; atq; hinc facillimè ex leui contactu venereo communicatur. Secundo, quia sicuti veneni Pocutiensis mediata materia est sanguinis pars pinguis, & oleosa, ex qua semen fit: ita & Luis venereæ subiectum mediatum est semẽ ipsum. Atq; ideò maxima ex parte ex impuro cõtactu fit Gonorrhea, qua perseuerante vel minora redduntur symptomata, vel aliquando nulla apparent; ipsa verò importunè suppressa, statim omnia succedunt sæuissima. Conuenit etiam in proprietate agendi: Vtrunq; enim dolores infert acerbissimos, ossium frangitiuos, noctu exacerbatos: vtrunq; pilis infensum esse videtur, quamquã alia, atq; alia ratione, dum illud facit defluuium, hoc verò Plicam. Deniq; vtrunq; ab initio, & incremento, corpus reddit calidius; progressione autẽ temporis dissoluto calido innato frigidius. Propterea conueniunt & in Instrumẽto. Ambo enim per calorem extraneum operantur, quo attrahunt, ac putrefaciunt. Hinc scribit Magnificus Rector eos, qui in Gallicum propendent, facilius capi: eo quòd in habentibus symbolum, facilis sit transitus.

Disponitur secundo hęc materia ad suscipiendam venenatam qualitatem propter caloris defectum. Etenim iam à nobis suppositum est, illam esse oleosi sanguinis partem, & eandem cum ea, ex qua semen fit, Sicuti n. sanguis, si in aliquam corporis cauitatem secedat, & in grumos cõuertatur,

vene-

venenum euadit, Galeno Auctore 6. de loc. affe. quarto, & seminalis substantia in cauitate uteri cõ tenta, aut in vasis seminarijs vltra modum collecta, & retenta, venenatam recipit qualitatem, eodem Galeno teste 2. de semine 1. & 6. de locis affectis 5. : non dissimili ratione eandem substantiam pinguem, & oleosam, vel in toto corporis ambitu, vel in vnica corporis particula, quanquam ea ignobili, & externa retentam, in venenum quantitate quidem exile, qualitate verò maximum euadere: quotidiana eorum experiẽtia, confirmare possumus qui ex digito manuum, aut pedum, ex calcaneo, ex sura, ex genu, ex femore, alijsuè id genus partibus epilepsias ingentissimas, ac furores patiuntur. vt legere est apud Galenum, Fernelium, Hollerium, alioſq; plurimos, quorum exempla inferiùs iterum proponemus. Quanquam autem nullum habeam Auctorem cuius testimonio probare possim, auras veneficas in partibus determinatis genitas, ex pingui, vel oleosa substantia oriri; cum tamen mihi semper plus placeat ratio, quàm auctoritas; & tunc tãtum libentissimè aliorum testimonio vtar, cum rationibus vndiq; munita esse intelligam; iccircò placitum hoc libenter profero, qui illud confirmare posse videor.

Argumenta verò quæ pro hac sententia habeo, hęc sunt. Primo vnum & eundem esse agendi modum, vnamq; & eandem proprietatem in semine venenato, quæ est in quacunq; aura genita in loco à vasis seminarijs, & testibus longè distante: atq; ideò eadem symptomata oriri. quod neminem inficiaturũ puto. Secundo pinguẽ, oleosamq; materiam,

riam, extra venas, factam, non semper membranis hærere, aut super illas concrescere: sed quasi peregrinam & in loco indecenti constitutam reperiri posse. Quid enim prohibet, si colliquatur, vt quã doq; in vesicã, & in intestina secedat, quo minus etiam in aliquo inani loco, in aliqua corporis parte reperiatur, quasi vaga, & errabunda, vbi nullũ habeat naturæ vsum, aut commodum? Nonnè & sanguis ĩ tertia coctione extra uenas fit, statimq; putrescit, suppuratur, aut concrescit? potest ergò & pinguedo, vel simul cum sanguine, vel à sanguine seiuncta. Quòd si ita est, vt esse, certò mihi sua deo: tertium sequitur, illam necessario à naturali statu mutari. At si mutatur, corrumpitur: corruptio autem nonnisi deterrima esse potest, ratione modi corruptionis, qui est ad rancidum, & ratione formarum, ac qualitatum, quæ in hoc mixto validæ conseruantur. De qua re infra multa dicemus. Itaq; tandem in venenum transibit deterrimum. At si transibit pauca, & in vnico angustoq; loco: cur non transibit multa, & in loco multiplici, quando eædem concurrant conditiones? Transibit sanè. Iccirco pinguis hæc materia, morbi præsentis subiectum, extra proprium locum constituta langueſcente iam calore innato, corrupta, ac rancida facta, non tamen valdè putrida, atq; ideò vires satis integras retinens, ad fortissimi veneni, formam suscipiendam redditur aptissima. Sed de hac re plura infra. Transeo enim ad tertiam caussam disponentem, calorem scilicet præter naturam. Quid agat calor iste vt materiam reddat deteriorem, ac corpori magis obnoxiam, vniuersaliter proponere arduum non est. Etenim absumit

nati-

natiuũ calorẽ, quo assumpto faciliùs corpora putrescunt: corpus præterea putrefactum, extraneo calore, reddit calidius; Iccircò acri, punctoria, & deniq; irritatoria facultate donatum.

Quòd si id verum esset, cuius amplissimum habeo testimonium: ad augẽdam in hac materia vim quãdam punctoriam maximè faceret. Est aũt hoc in venis eorum qui Plica laborant, pilos produci: adhæc in toto corporis ambitu sub cute eosdem valdè pungentes aliquando propagari. Et sanè, si pilos intra venas gigni cõcedamus, quales in sanguine eorum qui post Plicam exstincti sunt manifestè conspectos, viri oculatissimi, & fide dignissimi testati sunt, multò magis eosdem extra venas oriri posse admittemus. Cum enim pili isti non aliã possint habere materiam quam pinguedinem, vt inferiùs ostendam, profectò pinguedo ipsa quæ à calido liquescit, à frigido autem densatur, multò faciliùs extra venas, quàm in venis transibit in piliculos; imò verò in venis nunquam à frigido, sed potiùs à corporis lẽti atq; oleosi collisione, vel compressione, vel attritione, vel siccatione quadã in pilum cõuerteretur. Etenim dura omnia vel à frigido, vel à sicco, vel à copia fieri: docuit Galen. simpl. v. docetq; quotidiana experientia. Cum ergò in venis à frigido indurari non possit oleosũ corpus: aliæ duæ supersunt indurationis caussæ.

In sanguine verò eorum qui Plica vexabantur, piliculos esse inuentos; testis olim fuit Excellẽtiss. piæ memoriæ Doctor Slovacius, Academiæ Cracouiensis Mathematicus insignis & Medicus, quem audiui rogatum à Perillustri Matrona Catharina Danil'ovvicovva, vt aliquod inue-

niret

niret huic morbo leuando auxilium, audacter respondisse, irrita fore omnia; versari enim nos in affectu, qui sanguinem pilis habeat omni ex parte refertum.

Nugas fortè quidam existimabunt istas: sed auctorem dico, & in nouo morbo, difficili, ac raro, rara quoq; conspici non miror, qui aliquando etiã sine Plica, pilos in sanguine factos, apud Cardanum legi in com. ad Aphor. 76. quartę particulæ: Scribit.n., se pro quodam Hispano consilium tradidisse, qui & in sanguine, & in excrementis omnibus, pilos emitteret.

Ceterum de pilis qui in excrementis, varijs, atq; in cute vniuersa apparent, inferius D.O.M.F. multa dicemus, ad rem præsentem maximè conferentia: nunc illud sufficiat, Pinguem substantiam ad venenum Pocutianum dispositam, vel propter luem Veneream, vel propter corruptionem rancidam ex deffectu proprij caloris, vel propter acrimoniam à calore extraneo contractam, fortè & à peliculis tandem occultam hanc susçipere formã prædictis partibus infensam, quæ deinde ceteris quoq; corporibus impetum facientibus sibi propinquis, ac permixtis impertitur; vt propterea fumus, fuligo, & vapores reliqui potius veneni vehicula, quàm subiecta propria sint dicenda.

CAPVT XXVI.

DE HVIVS VENENI PROPRIETATE, ET AGENDI MODO.

EX proximè dictis, corrollarij modo, iam licet veneni huius proprietates, & agendi

modum enunciare. Habet enim proprietatem articulis, ligamentis, tendonibus, neruis, membranisq; omnibus aduersariam; cum pilis, autem & extrema cute, familiaritatem aliquam retinere videtur. Agit verò pungendo, irritando, mordicando, attrahendo, calefaciendo, moderatè putrefaciendo, non tardo, sed veloci motu: diu permanenti, sed mobili, & vago: non deniq; simplici, sed valdè mixto, ac composito. Sed de hac re satis. Ostendi hactenus Communem morbum ex communi victu fieri posse; prauamq; viuendi ratione, & prauos succos, venenum intra corpus producere, quale est hoc Pocutiense. Docui qualis sit materia proxima, & remota: qualis generationis locus: quales causſæ effectiuæ, qualis proprietas; & modus agendi: reliquum est vt partim colligamus, partim adhuc demonstremus quomodo venenum istud commune esse possit.

CAPVT XXVII.

QVAS ALIAS OB CAVSSAS PLICAE VENENVM COMMVNE SIT.

TRes vt antea dixi inuenio causſas, propter quas venenum hoc Polonicum vsq; adeo commune sit: duasq; iam proposui, & eas quidem internas, ac proximas: tertia supereſt externa, & magis communis. Ex duabus prioribus internis, vna quidem fuit communis viuendi ratio: altera verò lues Venerea. Prima sine secunda esse potest: secunda verò si fuerit sine

ne prima, communem habebit characterem luis Gallicæ: non habebit proprium Plicæ. Atq; ideò Prima, est principalis huius communis affectionis causſa; Secunda, vt diximus, dispositiua, quæ tamen non parum potest ad vulgarem morbum producendum: cum multi sint, qui vel ex congressu Venereo, vel ex sanguine, & semine materno, vel paterno, fortè etiam ex nutricibus inficiuntur, & ad Plicam deindè disponuntur. At verò etiam si ne lue, ipsa communis praua victus ratio satis esse posset, quæ, etiamsi communis in specie non videatur; est saltem communis in genere, quando omnes intemperanter viuunt: compotationibus vel vini, vel mulsæ, vel aquæ ardentis, vel genero sæ ceruisiæ dediti sunt, quæ omnia vnam, & eandem habere facultatem superius ostendimus.
Neq; verò dicat quispiam, vsq; adeò antiquam esse hanc Polonorum consuetudinem, vt nouum minimè possit morbum constituere. Nam, & si respõdere possem, ita rem non habere, sed ante triginta, vel quadraginta annos vini tantam copiam, præcipuè mulieres ingerere non consueuisse: possem præterea dicere, luem Veneream, ante 40. vel 50. annos vsq; adeò frequentem non fuisse: has tamen responsiones parui facio, qui aliam habeo caussã huius vulgaris morbi, apud me omnium prçcipuã, Aeris scilicet humidiorem iustò constitutionem, per totam penè Europam multos iam annos diuagantem; atq; pro Regionum, ac subiectorum diuersitate, vario modo agentem. De qua nonnulla dicere decreui, cum mihi maximè ad nostram confirmandam sententiam facere videatur, ne-

que cum ijs quæ superiùs de cauſſa ex parte aeris dicta ſunt, vlla ex parte pugnet.

CAPVT XXIIX.

QVOMODO AERIS CONSTITVTIO POSSIT ESSE CAVSSA COMMVNIS PLICAE.

EX temporum conſtitutionibus, nullam plánè inuenio ad longos prauoſq; excitandos morbos aptiorem, ipſa humida. Auget enim conſtitutio iſta excrementitios humores & ex ſe, & ex accidenti. Per ſe quidem, quia humidi eſt augere humidum: ex accidenti verò, quia dicebat quandoq; Galenus, illam, excrementa corporis digeri non ſinere. Hinc magnus Hippocrates, ex conſtitutionibus, ſiccas inquit, humidis eſſe ſalubriòres. Quòd etiam repetit Galenus primo in primum epid. primo. & variæ oſtendunt humidæ conſtitutiones peſtis færaciſſimæ; qualis fuit illa ab Hip. tertio in tertium epid. relata. Itaq; cum affectus iſte Polonicus, & diuturnus, & maleficus ſit: incrementum fomentumuè ex Aeris conſtitutione habeat, neceſſe eſt: Idq; dupliciter. Primo quidem, quod cum Polonorum naturæ omnium ſint humidiſſimæ: in conſtitutione humida facilè repleantur, atq; faciliùs in morbos incidāt. Sic Gale. ſcribente, in conſtitutionibus humidis, plus offendi naturas humidiores, ac propterea dixiſſe Hippocratem, febrem pituitoſis magis aduenire, quòd ſint humidiores.

Hoc ipſum pueris ac mulieribus maximè confirman-

firmãtibus, cum frequentissimè omnium huic malo subijciantur. Secundo quia eadem humiditas supurflua, illis arboribus, aut plantis, aut floribus ex quibus mella colliguntur potest esse vsqueadeo noxia, vt ex his deinde mella fiant venenata, ex venenatis autem mulsa, qua hi frequenter vtuntur. Venenati autem mellis meminit Galenus Simplicium decimo, meminit, & Dioscorides, qui Heracleæ in Ponto illud nasci scribit: quo vti posse Pocutianos, ac Podolienses non est vsq; adeò à ratione alienum, cum non longè distent à Ponto, vel in propria regione mel venenatũ colligare possint. Atq; hinc fortè factum est, vt plurimi tunc primũ hoc malum incurrant, cum Pocutium attingunt. Est enim apud Polonos prouerbium: Neminem bibere ex medone sine sanitatis læsione. Videtur autem hæc sententia eo maiorem habere probabilitatem: quod nõ ex vnica, sed multiplici arborum, vel plantarum specie mel hoc venenatũ colligatur, neq; ex sola florum natura, sed magis ex putrefactione propter insignem aeris humiditatẽ. Singula suos habent auctores. Sic enim scribit Cœlius Rhodiginus antiquarum lectionum 18. cap. 30. in Heptatonnetarum Arboribus venenati genus mellis nasci, quod haustum stupefaciat, & mẽtem consternat: eoq; tres Pompei cohortes in potu dato, à populis in Ponto ad Scythicum Montẽ degentibus, interremptas esse. Quiidem Rhodiginus lib. 25. cap. 35. apud Trapezuntum in Ponto, mel ex Buxo grauis odoris defluere docet. Plinius autem lib. 21. cap. 13. dum huius venenati mellis mentionem facit, Apes ex herba quadam alba, quam AEgolethrum vocant, id colligere scribit;

noxium

noxium autem fieri, floribus aquoso vere marcescentibus. Alterius quoq; generis venenati mel lis in Ponto nascentis meminit, quod ab insania quàm gignit, Mænomenon vocant: id existimãt contrahi ex flore Rhododendri quo scatent syluæ. Cum itaq; tot sint Mellis venenati differentiæ, & quædam ex floribus tantum ob putredinem marcescentibus fiant: non est à ratione alienum, vti Podolienses hoc melle, cum vt dixi nõ longè ab ipso distent Ponto, sitq; inter hos, & illos non infrequens commercium; ex quo deinde malum hoc vel ortum, vel incrementum suscipiat. Aeris verò constitutionem vsq; adeò humidam multos iã annos extitisse, vt potuerit corporum humiditatẽ augere, consuetumuè effluxũ prohibere, floresq; marcidos reddere; non difficili negotio consequentur illi, qui constitutiones annorum præcedentiũ, & morbos in illis factos acuratè intueri voluerint, atq; etiam præsentes contemplentur.

Ego enim, ne altius negotium petam, inuenio per vniuersam Europam ab anno 1528. vsque ad hoc tempus, vagatas esse constitutiones apprimè humidas, & ex cõsequenti morbos, qui nihil aliud ptæter humiditatem spirare videntur. Nam anno 1528. cœpit grassari Lenticularis illa febris à Fracastorio relata, quæ, siue ex aquarum abundantia, quæ fuit anno 1524. vt vult Cardanus, siue ex Padi, & Athesis, atq; aliorum fluminum inundatione, vt vult idem Fracastorius, quæ fuit eodem anno; nil aliud magis quàm humiditatem præsefere bat. Sequenti verò anno, Sudorifica illa febris in Britannia primũ, mox & in alias partes plurimas, per annos plus quam triginta continuos est debachata;

chata: vsq; adeò humida, vt totum corpus in sudorem soluere videretur.

Quo ipso tempore, Panonia propriam quoque humidæ pestilentiæ uim fuit experta, dum nō modo anno 1549. natas passim in humanis corporibus viperas, ac lacertas narrant, quibus mille hominū in dies post cruciatus acerbissimos interirent, nulla Medicorum arte, vel industria succurrente; sed altera pestilenti febre tunc quoq; vexante, quam etiam nunc sæuissimam experiuntur, Theriodem, siue vulgo vermem vocatam; à vermium copia in cerebro ipso magna ex parte redundantiū. Cuius meminit Iordanus de Peste Phœn. tract. primo, cap. xix. librumq; composuit exactissimum, Balthassar Conradinus Germanicæ conscriptum, sed Iacobi Suteri opera, latinitate donatum. At verò neq; hic est humiditatis finis. Etenim, ab anno 1557. vsque in præsentem annum, nemo vt puto alium inueniet vulgarem morbum, præter illos, qui ex defluxionibus, atq; insigni humiditate sunt oriundi. Sic anno 1557. Tussis quoddam populare genus per vniuersam ferè Europam eodem modo de repente cœpit, quo & anno 1510. & anno 1581. quem affectum Galli Coqueluche vocabāt: quòd qui hoc morbo tenebantur, cuculione caput vellarent. Eius meminit Valeriola in Appendice locorum communium cap. 2. atq; alij plurimi. Anno pariter 1564. & 1565. morbi ex defluxione facti sunt ad fauces, pleuram, & pulmones. Et anno 1572. & sequentibus Hemitritęi, humidæ Disenterię, Papulæ, Morbilli, Vermes, vsq; in annū 1574. quo deinceps tempore, pestis vniuersam ferè Europam est depopulata. Hisq; omnibus annis

nis incœpit, atq; etiamnum perdurat, fœdus ille Septẽtrionalibus regionibus familiaris affectus, Scorbutũ; vel Scelotyrbẽ vocant, quo ex nimia humiditate compages articulorum diſſoluuntur, ac gingiuæ putreſcũt, atq; ideò Stomacacem quoque appellant. Vno verbo, memoria repetat vnuſquiſq; morbos ante annos viginti factos, omnes videat humiditatem præſeferre: Atq; ideò, & coculuquum redijſſe anno 1581, & Lenticularem Fracaſtorij 1591. iterum apparuiſſe; nunc verò ſingulas annorum conſtitutiones auſtrales, atq; humidas eſſe, morborum ex vna tantum humiditate orientium proprias, & feraces. Quid igitur mirum, ſi dum Britãnia, Holandia, Zelandia, Belgia, Germania, Italia, Gallia, Hiſpania, Panonia, proprios quoſdam, ac peculiares ex humidis conſtitutionibus habuit morbos; Polonia quoq; ſuos habeat, atque ante aliquot annos habere cœperit? Quanquam enim vna, & eadem ſit Aeris conſtitutio: pro Regionis tamen, & vitæ varietate, variam habet faciem. Sic anno 1577. in Morauia primũ apparuit Brunus Gallicus, cum alibi adhuc peſtis non eſſet extincta. Et anno 1581. Catarrhus ille epidemicus omnibus ferè ſalutaris, in Ducatu Luneburgenſi lethalis fuit, ſic referente Balduino Rõſeio Miſcellaneorum epiſtola 69. Scorbutus pariter apud Vveſtphalos, Geldros, & Friſios aliam videtur habuiſſe naturam, quàm apud cæteros Septentrionales: qui morbum hunc Polonicũ æmulaſſe viſus eſt.

Habuit enim dolores, & cruciatus in omnia mẽbra, potiſſimum in dorſo, & lumbis; primumque vnam aliquam inuadebat particulam, deinde celeri

ri motu,& discursu vicinas quoq; partes occupabat,& à pedibus in scapulas; à scapulis in manus transibat,& circa articulos,maculas,&lituras facie bat, quæ interdum suppuratæ in vlcus conuertebã tur malignum, ex quo vermiculi instar Ascaridũ educi videbantur: interdum verò in vna parte absceſſus excitabantur, in fistulam desinentes, totum corpus doloribus liberantes; dum verò aliquem tenerent, noctu potiùs quàm interdiu affligentes, aliquando cum articulorum impotentia, & totius corporis macie. Quæ omnia longiore oratione sum prosecutus, vt ostenderem, quantũ possit diuersitas locorum ad immutandam morborum faciem, & videant Poloni, quanta sit inter Plicam, & affectum nuperrimè descriptum similitudo.

Constat igitur Aeris humidam constitutionem ad hos morbos producendos esse aptissimã,ac multos iam annos vigere; morbos quidem omnes humidos parere,varios tamen pro Regionis,& victus varietate. Vt mirari nequaquam debeant Poloni, si præter luis Gallicę suspicionem, & prauum cõmunem victum, accedente Aeris humiditate,vulgaris morbus, ac venenatus apud illos fuerit excitatus. Non quidem quòd ipse aer pestilens sit, sed quia ex impensa humiditate, corporum humiditatem auget,excrementa euacuari non sinit, mella ex quibus mulsæ fiunt, venenata reddit: vt tandẽ communissimæ cuiusdam caussæ locum habeat. Sed quia hactenus dicta,dubia adhuc, & obscura sunt: reliquum est, vt pro omnibus difficultatibus remouendis,ac reipsa dilucidanda, definitionem colligamus, omnia quæ in hoc affectu sunt subse

complectentem; atq; ostendamus, illam esse optimam; vtpotè quæ tres in se contineat optimæ definitionis conditiones ab Aristotele propositas: vt scilicet definiti naturam ad vnguem explicet; omnium quæ in re definita sunt rationem reddat; & cuncta dubia contra illam proposita dissoluat.

CAPVT XXIX.

PLICAE VNIVERSALIS DEFINITIO PROPONITVR.

PLicam diximus ab initio huius operis duobus accipi modis; aut pro vnico capillorũ implexu, vel pro quodam aggregato ex omnibus morbis, ac symptomatis, quæ in præsenti affectione conspiciuntur. Plicæ in priore significato iam tradita est definitio: nunc autem tradenda est in secundo. Quamquam autem in hac secunda significatione accepta, non videatur ad commune genus referri posse, cum in ea sint morbi, ac symptomata, quorum aliqua ad actiones læsas, quædam ad excrementa, & qualitates mutatas referuntur; morborum verò alij in magnitudine aucta, quidam in figura vitiata, nonnulli in alijs consistunt generibus: est tamen in his omnibus aliquid commune, nempè venenum; atq; ideò sub huiusce veneni definitione singula complectemur. Hoc autem venenum ex proximè dictis patet quale nam sit. Proprietas scilicet occulta omninò malefica in substantia primò ac per se vnctuosa, secundario autem in suliginosa, fumosa, ac vaporosa

porosa consistens, principium diuersorum sympto matum ac morborum. Hæc definitio affabrè definiti Naturam exponit, Genus, Subiectum, Causas omnes, Proprietates, atq; Effectus. Est enim Genus, substantiæ proprietas, siue tota substantia, ac tota forma, aut specifica forma, inexplicabilis, malefica tamen omninò, ad differentiam alimenti aut medicamenti purgantis, vel Alexiterij, aut Alexipharmaci, sub quibus etiam ea complector, quæ, cum partes sint corporis, iuuant partes sibi ipsis similes. Subiectum proximum & adæquatum, est substantia fuliginosa, fumosa, vaporosa, varia in toto corporis ambitu collecta; Principale verò est vapor ipse pinguis. Causę sunt, dispositio materiæ ob luem Veneream, ob diminutionem caloris proprij, ob augmentum caloris extranei. Proprietas & effectus patent. Relinquitur ergò vt ostendamus, quomodo hæc definitio causam reddat omniū, quæ in re definita continentur: deinde quomodo dubia soluat: tertio quomodo problematibus satisfaciat.

CAPVT XXX.

QVOMODO VENENVM SIT CAVSSA TOT MORBORVM AC SYMPTOMATVM.

EX proposita definitione vnicuiq; constat, non arbitrari nos, vt putauit Fernel. & alij cum eo, venenum esse totius substantiæ morbum; sed causam quandam maleficam. propterea eorum omnium malorum quę in Plica ap-

parent principium, quòd quamobrem fieri possit, nunc explicare aggredior.

Affectionum ergò quæ Plicam comitantur, quę dam nullam requirunt aliam materiam, effectiuā uè causſam, præter illam quæ veneno tributa est; fumosam scilicet, fuliginosam, vaporosamq; variam; in quo genere sunt cirri, furfuratio, implicatio, & de quibus satis dictum est, neq; hæc amplius repetemus. Quędam verò alium quoq; obtinēt humorem, si non pro sui origine, saltem pro perfectione, & complemento. In qua classe sunt dolores varij, conuulsiones, gibbositates, & alia de quibus nunc dicam.

Attrahitur autem hic humor ad locos affectos ab interno veneno, eadem prorsus ratione, qua videmus in externis quoq; partibus, à phalangio, scorpioue punctis, aut vipera momorsis fieri; vt scilicet pars illa irritata, & vlcerata, ad se tales ducat humores, quales in corpore inueniat; huic quidem frigidiores, illi verò calidiores: vni pauciores, alteri plures. Hoc tantum discrimine, quod in extrinseco ictu, vtpotè in vnica parte facto, in vnicum quoq; locum confluant humores: in veneno autem intrinseco, tot sint loca fluxionem recipientia, quot sunt à veneno lacessita. Hæc autē, vbi venenum in aura tenui positum est, varia admodum conspiciuntur; cum possit hæc aura momento temporis locum mutare, atq; huc, & illuc se transferre, & materiam secum ab vna in aliam partem rapere. Vt propterea vno & eodem tempore, morbi, & sanitatis causſa dicatur. Morbi quidem, in parte ad quam fluxit, sanitatis autem, in parte à qua proximè recessit. Vno verbo, tanta est

illius

illius attractoria facultas, vt si in aliquam nobilē partē secedat, vt in cor, breui interficiat: si in ignobiliſſimam transeat, vt sunt pili; corpus à reliquis langoribus immune relinquat: si in medijs quibuſdam partibus collocetur, non interimat quidem, sed malo quoddam modo torqueat. Ita verò res habet, cum in membranas, neruos, tendines, arti culoſq; inſeritur; nam ob prædictam cauſſam gra uiſſima ſymptomata, morboſq; infert.

Hinc Ambroſius Pareus vir ſanè doctiſſimus lib. 17. ſui magni operis cap. 2. vniuſcuiuſq; Arthritidis primam, ac immediatam cauſſam venenū eſſe putauit, ad cuius irritamentum ſubſequantur humores. Quòd cum non ignoraret Galen. Theriacam aliquando pro Arthitricis comprobauit. Et Auicenna, malignæ Arthitridis meminit. Et ſanè, quis malignam non concedat illam, in qua oſſa exedantur, ac corrodantur, cuius aliquando meminit Fœlix Platerus? aut quis illam non dicat venenatam, quæ omnibus ritè adminiſtratis non cedat, & continuò interdiù, & noctu affligat? Eſt itaq: dolorum articularium in hoc affectu exiſtentium cauſſa proxima venenum, ſecundaria verò humor attractus, modo calidus, modo frigidus. Quòd autem de articulorum doloribus dictū eſt, idem & de illis intelligendum, quos oſſa infringere ſcribit Magn. Rector. Ab eadem enim cauſſa fiunt, diuerſo autem loco, in membranis ſcilicet oſſa circumducentibus.

De quibus aliquando meminit Hippo. ſexto in ſextum epid. quincto, cum inquit.

„ *In doloribus proximum ventrem purgare oportet &c.*

Et Galenus de ijſdem eodem loco.

Ex-

„ *Exoriuntur enim dolores quidam maligni &c.*

At si ex veneno fit dolor, multò magis fit conuulsio. Quanquam enim conuulsionis aliam se nunquam profitetur inuenisse Galenus causſam, præter inanitionem, & repletionem: nihilominus quasi sui oblitus, alijs in locis meminit quoq; causſarum irritantium, puncturæ, & demorsus, vel ab acri, vel à medicamentoso humore circa neruos facti. Hinc Epilepsiam ex aura venefica fieri concedit, quæ totius corporis est conuulsio. Quem deinceps secuti omnes ferè Medici, huius ipsius affectus nullam ferè aliam videntur inuenisse caussã, prẹter venenatam qualitatem, modo ex vna, modo ex altera parte eleuatam. Sic Fernelius à summo vertice, Beniuenius & Dodonæus ab vtero, Hollerius ex liene, digito manus, bracchio, humero. Idem; & Brasauola, ac Fauentinus, ex cruribus, sicuti & idem Galenus, & Montanus. Ex osse vitiato in coxa, Syluius, ex alijs denique partibus, alij eleuari dixerunt. Eadem verò est conuulsionis ratio. Sed de Gibbositate, & membrorum contractione permanente, aliqua videtur difficultas; eò quòd Gibbositas ex tuberculis: membrorum autem contractio iam permanens, in plethoricis, & cacochymis corporibus ex sola fiat repletione. Sed nulla est ambiguitas. Fateor quidem Gibbositatem, ac contractionem relictam post tubercula, à repletione fieri; sed quæ alia fuit repletionis causſa quàm attractio, aut quæ attractionis, quàm venenum? proximè id declarauimus; neq; denuò repetendum. Si quispiam luxatione proponat, quasi aliquid nobis obijciat: nostram potiùs confirmat sententiam. Nam sicuti venenũ

istud

istud, cum primum in aliquam confluit partem, illam calefacit, irritat, replet, inflammat; ita temporis progressu calidum digerit, innatumq; robur exsoluit; Præterquam quòd si laxitatis nomine Paralysim intelligamus, ipsa quoq; ex humoribus neruos obstruentibus à veneno attractis produci potest. Neq; verò difficile est modum, & caussã intelligere, quo, & propter quàm Ophtalmiæ, & suffusiones, vel id genus cæcitates fiant, ac facilè per pilorum implicationem soluantur. Nam cũ adnata oculorum tunica communis sit pericranio, cornea verò, & vuea internis meningibus: quid prohibet communicari aliquid oculis, & vicissim retrahi, & ab hac in aliam partem transmitti, cum celebres non defuerint Anatomici, qui ex hisce duabus cerebri membranis, cæteras omnes oriri, atq; communi quodam nexu copulari censuerint? Nos verò huic veneno in quacunq; parte existenti, vim attractoriam tribuerimus? Hæc quidem scitu digna, nec quidem facilia: sed quæ sequuntur digniora, ac difficiliora. Age igitur ad illa statim transeamus.

CAP. XXXI.

PROPONVNTVR VARIA DVBIA CONTRA DEFINITIONEM PROPOSITAM.

VAria insurgunt contra definitionem propositam dubia, quæ in præsenti capite proponemus, in sequentibus autem dissoluemus.

Primum est, venenatam dici non posse hanc affectio-

fectionem, quæ cordi non sit infensa, quæ non interficit, quæ chronica potius, quàm acuta est, quæ tam facilè in pilos, ac cutem transponitur, atque in varias externas affectiones permutatur, non vsqueadeò malignas, vt venenum præse ferant.

Secundum est, huius veneni materiam multas ob causſas pinguem esse non posse. Primo, quia pinguis, seu viscida ad motum celerem est inepta; hæc verò omnium est velociſſima. Secundo quia ad putredinem nullam videtur habere aptitudinẽ; cum pingue, & oleosum omnium minimè putrescere videamus. Neq; valet ratio de corruptione ad rancidum. Etenim aliud est loqui de adipe à viuenti corpore separato, aliud verò de interno, qui à natiuo calore regitur, ac conseruatur.

Quòd si dicamus non in venis esse; nihil dicimus. Etenim extra venas: aut concrescit circa membranas, aut colliquationis modo ad intestina, & vrinas mittitur; tuncq; corpus Febre, aut pestifera, aut hectica laborans consumitur, contra quàm in Sarmatis patientibus fieri videamus, aut intelligamus.

Tertio dubitari potest, quomodo hoc venenũ non sit, contagiosum, cum sit in substantia tenui, vaporosa, putrida, lenta, quæ sunt præcipuè contagij conditiones.

Quarto quæritur cur Febris continua non adsit, si continuum est venenum, & putredo in materia illi subiecta. Neq; enim intra corpora venenum absq; putredine aut gigni, aut conseruari potest.

Hæc primum soluemus, deinde verò ad problemata transitum faciemus.

CAP.

CAPVT XXXII.

CVR HOC VENENVM NON SIT INTERFICIENS.

QVI putarunt venenum omne esse proprietatem substantię cordi aduersariam, & interficientem, atque ideò nobis obijciunt, morbum hunc veneficum non esse, qui neq; citò, neq; multos interficit, neque cordi est inimicus, & tam facilè per solam pilorum implicationem soluitur: hi sanè mihi à scopo aberrare videntur. Etenim, vt antea ostendimus, tot sunt proprietates substantiæ humano corpori aduersariæ: quot sunt partes similares, & dissimilares. Vt propterea cum aliud sit cordi, aliud iecori, aliud cerebro, aliud testibus, aliud alijs locis contrarium: variæ quoq; apud scriptores inueniantur venenorum differentiæ, non modo à partibus, sed aliquando à priuatis partium actionibus læsis desumtæ. Sic datur Amatorium venenum per Philtra vocata, quo vsam esse Cleopatrã in M. Antonium dicunt: Sic datur Maniacum, quo vsa est Cæsonia, vxor Caligulæ in marito: Sic datur Debilitans, quod Olympiadem dedisse aiũt Priuigno Aridæo, vt regno esset inutilis: Sic datur & Soporiferum, vt patet de Opio, Mandragora, Hyoscyamo & ceteris: Est & conuulsorium tantum, cuius meminit Iulius Scaliger Exercit. 154. Est & aliquod ipsi vtero inimicum, vt Aconitum, quo vtebatur Kalfurnius Bestia, ad necan-

das vxores: Eandem ob causſam Cantharides ſolam veſicam, Lepus marinus ſolos pulmones lædunt. Atque ideò nemo inficiabitur, venenum quoque hoc Sarmaticum, poſſe cum articulis, neruis, & membranis antipathiam habere: non ne ceſſariò cum corde. At verò, hoc etiam dato ſed non conceſſo, omne venenum ex propria natura, cordi eſſe contrarium: non tamen omne venenũ æquales habere interficiendi vires concedamus ne ceſſe eſt, imò verò alia alijs multò imbecilliora eſſe: & pleraq; ex illis quæ venena putantur, (veluti Elleborus albus, Stimmi ſiue Stibium, Argentũ viuum, Euphorbium, Lathyris, Cucumer ſyluestris atq; alia id genus) euadere medicamenta. Accedit, quod quanquam omnia concedamus vnam & eandem habere facultatem: nunquam tamen inueniamus humana corpora vno & eodem modo ad perniciem veneni ſuſcipiendam idonea. Iccircò apud Polonos quoque, robuſtiora corpora, virus hoc venenatum quamprimum in pilos tranſmittunt, minus valida, retinent quidem in corpore: ſed ex his, qui fortiores ſunt, externarum partium noxam incurrunt: qui imbecilliores, vel ex morbi longitudine, vel ex alia quapiam cauſſa, tandem moriuntur. Qui ſanè cum pauci non ſint, ſic ſcribente Magnifico Rectore, *Maxima pars tamen perit*: profectò, iure optimo nos Morbum iſtum, pernicioſum & venenatum vocauimus.

CAP.

CAP. XXXIII.

QVOMODO POSSIT ESSE VENENVM ABSQVE CONTAGIO.

ETiamsi inter tot conditiones, quæ corpori contagioso à Medicis tribuuntur, tres ad modum præcipuæ, huic subiecto veneni Polonici adamussim conuenire videãtur; vt vapo rosũ sit, & viscidũ, & non in profunda corporis par te sitũ: quædam tamen aliæ magis præcipuæ desunt; & ex tribus propositis, duę non eo modo se habent, quo ad contagium faciendum se habere debent. Etenim quanquam viscida seu lenta sit hæc materia, attamen ante pilorum inuolutionẽ membranis inclusa, libenterq; illis adhærens, circa eadem continuò versatur, vagaturque, & mouetur, non autem ad cutem. Et quanquam fuligo, ac fumus facilius transpirare possint: attamen quia primo ac per se venenum non continent, cõtagium non inferunt.

Ceterum, quanquam hæ inter præcipuas repo nantur: vna tamen defuit apprimè essentialis, scilicet putredo, quæ vel in tali materia non reperitur: vel si reperitur, non est in tali modo ac gradu, vt contagium efficere possit. Dixi putridam non esse hanc materiam, quia fuligo, & fumus putrida non sunt, pinguis autem vapor moderatissimam habet putredinem. Neq; quis obijciat, contra rem se habere, & putredinis notas adesse conspicuas. Nam & si putredinis notæ, ex pediculis

ac pædore, non spernendæ appareant: possunt tamen hæc esse veneni effectus, non materia. Et quē admodum calida & sicca venena in quarto gradu quæ putrefacientia dicuntur, putridum non habēt subiectum, veluti Arsenicum, Risagalum aliaq; id genus plurima, putrefaciunt tamen; sic & huius Luis subiectum, potest esse imputridum, propinquam tamen materiam putredini aptam corrūpet, & fætoris causa erit. Sed demus esse putridum huius luis subiectum: atqui nō est in eo hic modus aut gradus putredinis, cum quo stare possit contagium. Nemo enim non videt, quàm diuersa sit putredo in vino acido, ab ea putredine quæ fit in vino conuerso in vapam inutilem. Alius quoque est putredinis modus in quo animalia generantur, ab illo, in quo nullum viuens producitur. Diuersi sunt gradus, vt apparet in mespilis, sorbis, in pyrastris, pomis silvestribus, alijsque id genus austeris fructibus, quorum putredo certò gradu facta, naturæ est amica, atq; in delicijs habetur: vltra illum gradum, noxia & iniucunda euadit. Potest ergò hic quoq; vapor, modum, gradumq; putredinis contagio ineptum continere: & eo potissimum, quòd vt dixi ante Plicæ aduentum, in summa corporis superficie non existit, vt ceteri contagiosi morbi, Scabies, & Elephantiasis: neq; exspiratione communicari possit, cum in thorace non sit: post Plicam verò, cum materia partim in pediculos transeat, partim ventilata transpiret, contagij vires, si quas habet, amittit. Totius ergo argumēti solutio sit. Vel putridam non esse hanc materiam: vel si est putrida, illam non habere modum aut gradum putredinis contagio accommodatū,

multò

multò minus verò locum; vt hanc ob cauſſam lues quoq; Venerea, in vniuerſum ambitum diffuſa; neq; ad diſtans, neque per ſimplicem contactum, in aliud ſubiectum tranſmigrare poſſit.

CAPVT XXXIV.

QVOMODO VENENVM VSQ. ADEO INFENSVM ABSQVE INSIGNI PVTREDINE GENERETVR.

DVM Charybdim fugio, Scyllam incidiſſe videor. Nam ſi putrida non eſt hæc materia: quomodo proprietas ſubſtantiæ, corpori vſq; adeò infenſa in ea reſidere poteſt, quæ tot tantaq; mala producat, quot, quantaque ſuperius deſcripſimus? Venena in humanis corporibus, ex prauis ſuccis, fieri, Galenus docuit: at praui ſucci ſunt putreſcentes, & ex putreſcentibus illi, qui gradum putredinis excellentiorem contraxerunt; ſic docente eodem Galeno primo in ſextum epid. 29. ac ſuadente ratione. Nos verò his non obſtantibus, oppoſitum tuemur: qui tria hæc nunc demonſtrare profitemur. Primum, excellentem putredinem, non neceſſariò veneni eſſe cauſſam: alterum, ex leuiſſima etiam putredine venenum fieri: tertium, præſentis veneni Polonici materiam, in hac ſecunda claſſe reponi debere. Quòd igitur ad primum ſpectat, vt omittã quæ extra humanum corpus fiunt: nemo quotidiè non videt; intra corpora, humores vel ſimplices,

vel

vel mixtos, in venis,& extra venas, ſolida quoq; ſimilaria & diſſimalaria inſigniter putreſcere,nulla exiſtente veneni ſuſpicione. Quid enim aliud ſunt febres continuæ, ſiue periodicæ, ſiue continentes: quàm febres ex materia vſq; adeò putrida, vt propter excellentiam putredinis,excremen torum fœtor, vermium generatio, calor exurens, aliaq; id genus plurima conſequantur? Aut quid aliud eſt humor putreſcens in cinerem conuerſus, quàm ille qui pro aliqua ſui parte definit in elemẽta, qua nulla maior putredo excogitari poteſt? Et tamen minor iſtarum febrium pars,ad venenatas refertur; imò verò ex venenatis complures quo maligniores,eo pauciores habeant putredinis notas; vt potè quæ calorem habeant mitem, pulſus, & lotia ſanis non diſſimilia, de quibus Gal. 3. de criſibus 4. & 3. de præſagio ex pulſibus 3.& 4. atq; alibi. In priuatis quoq; abceſſibus, quàm excellens,& varia ſit putredinis forma; docuit Galenus ipſe, atq; experientia, dum in his non modo ſanies fœtida, ac varij coloris: ſed ſubſtantia quandoq; amurcæ olei ſimilis, pili, vermes, aliaque id genus plurima contineantur,apprimè putrida, nõ neceſſariò venenata. De ſolidarum verò partiũ putredine, quid dicam? an non multiplici conſtat experimento, aliquando ſubſtantiam ſolidam,nõ quidem externam tantum, aut ignobilem, ſed internam ac nobilem, abſq; vlla veneni ſuſpitione prorſus corrumpi? Clariſſima huius rei habentur apud varios Medicinę ſcriptores teſtimonia. Meminit Rhaſes, cui adſtipulatur Auicennas, confirmatq; Hollerius,& Thomas Vega, doloris capitis antiqui ex vermibus in cerebro natis. At vermes

non

non fiunt absq; putredine, quæ etiamsi in alijs locis magni non videretur, momenti; in cerebro tamen, parte vsq; adeò nobili, maximi est iudicanda: cum tamen sine veneno sit. Nam vbi venenũ, ipsum occupet cerebrum: non modo dolor, sed Epilepsia, aliusue grauior affectus succedit. Quid magis putridum ipso fœtu mortuo menses, & annos in vtero existente, & tandem vel per intestina, vel per ipsum abdomen exeunte, salua & incolumi matre? Putrescit in hoc casu ipsemet fœtus, cuius ossicula paullatim excernuntur; putrescit vterus, & cum eo vel intestina, vel peritoneum, simul cum musculis abdominis & cute (neq; enim aliter per locos istos exire potest, quin illos corrumpat) & tamen nemo iure optimo hanc substantiã venenosam dixerit, quàm natura, tot annos continuos absq; vllo ferè mulieris incommodo sustinuerit; quemadmodum vnusquisq; legere poterit, apud Albucasim 2. Chirurgię 76. Apud Alexandrum Benedictum lib. 25. cap. 35. apud Langium epist. 39. lib. 2. vno verbo apud Franciscum Rousset in libro de partu Cæsareo cap. 2. & 3. Quid plura? nonnè præsenti anno in publicis lectionibus, Trincauellij, Hollerij, atq; aliorum testimonio comprobauimus, cum abscessibus atq; vlceribus in ipsamet cordis substantia existẽtibus, quosdam diu superstites fuisse? Nõnè empyci, ac pthisici diu quandoq; viuunt? Quòd si ex insigni putredine venenum fieret: nemo sanè posset tamdiu supereſſe, qui vlcus vel abscessum ĩ corde haberet, imò verò quamprimum perduceretur ad interitũ. Satis quidem probatum videtur primum hoc mẽbrum, Ad magnam videlicet putredinem, non ne

cessariò

cessariò venenum sequi. Cum verò hoc ipsum rarissima, atq; admiranda quadam Patauinæ adolescentulæ historia confirmari possit: illā in studiosorum vtilitatem subiungere, non grauabor. Nam præter quàm quòd ex se scitu digniſſima est, vsq; adeò bene nostram de putredine venenum necessariò non producente sentētiam confirmat, vt nil aptius excogitari possit. Potuissem quidem illam ab Excellentiss. Alexandro Vigonza Nobili Patauino, & Publico Professore meritissimo concinnatam, huc ad verbum trāsferre: sed ne illi gloriam arripere videar, quàm sibi non tantum referendo, quantum differendo, ac de hac re disputando comparare potest: decreui paucis tantum, totū hoc negotium transigere, ipsi verò quòd reliquū fuerit, relinquere. Res ergo sic habet.

Virgo annorum octodecim, temperamenti calidi humidi, optimi habitus, carnosa satis atq; pinguis, multò etiam redundans sanguine, post diuturnas febres, mensium moram, cibi potusq; omnis vix decorati reiectationem diuturnam; post alui adstrictionem, atque lotij plurium mensium suppressionem, post brachij sinistri paralysim; deniq; post febrem vehementem cum delirio iocoso, ac frequentissima catalepsi plusquam trigesies vna die naturali inuadente, & per singulos dies repetente (prægresso casu in ventrem dum scalam ascenderet ex animi deliquio) in fluxū alui, ac vomitū sanè admirabilē īcidit. Primū. n. vomitus fuit sanguinis copiosissimi, quem intra totū hoc tēpus quo laborat, libras octoginta excessisse credimus. Deinde verò materiæ simul cum sanguine apprimè variæ, per vtrunq; os exeunte, quæ aliqua sui

parte

parte cutem valdè pinguem, alia sincerum adipẽ, altera carnosam, & glanduloſam ſubſtantiam præferat. Non rarò viſa eſt materia iecori vſq; adeo ſimilis, vt ipſam eiuſdem parenchyma diceres; venulis quinetiam non deficientibus, ſed per eandem diffuſis. Sicuti verò carneæ iſtæ portiones, ſiue vnius, ſiue alterius formę, ac modi ſubſtantię, ſinceræ, ac diſiunctæ emittebantur, ita ex aduerſo pinguedinem quandoq; membranis vſque adeò plurimis inuolutam inſpicere potuiſſes, vt veram diceres omenti partem; ſicuti aliam quoq; ab hac planè diuerſam intuitus eſſes, laridum in colore, & ſubſtantia omninò æmulantem, albam, ſolidã, planam, æqualem, exteriore obductam cute, molli admodum ac leni.

Neq; verò hæc in pauca egeri copia putes. Nã quotidie vnc. tres, vel quatuor ad minus, aliquando ſeptem & octo ponderare potuiſſes. Neq; ſemel tantum, aut per dies paucos, ſed per menſes ſeptem iam continuos ita quotidiè prodeunt, vt excretæ huius ſubſtantiæ quantitas, omnium conſenſione, libras ſexaginta, fortè etiam ſeptuaginta hucuſq; exceſſiſſe credatur, cũ tamen neq; nunc factus ſit excretioni finis: ipſo D. Vrſino teſte.

Quis ergò non ſtatim confiteatur, in corpore huius Virginis inſignem eſſe putredinem? præcipuè verò ſi cadaueroſum illum fœtorem ſubodorare poſſet, quem ego ipſe, & alij pleriq; olfecerunt? ſanè certus ſum, neminẽ qui odorem exeuntium corporum (excepta tamen pinguedine) ſenſerit, non ſtatim defuncti, ac putrefacti corporis partes eſſe confiteatur. At ſi ſubſtantia ſolida, vſq; adeò ventriculo propinqua, vt vomitione, &

ctione excerni possit, tantæq; molis, omninò putrida, & corrupta, puellam tamen in regras adhuc vires, atque hilaritatem retinere finit, quæ quotidiè surgit, ambulat, domum, ac seipsam sedulo curat leuissime febricitat, nullum deniq; venenatæ qualitatis obtinet argumentum: quis quæso non confiteatur, posse in humanis corporibus insignem hanc putredinem, absq; veneno residere?

Neq; verò dicat quispiam, hoc esse præstigium, hæc quæ excernuntur realia non esse, sed à Dæmone ficta; qualia sunt alia id genus plurima, à pleriſq; mulierculis iecta; vt claui, ligna, ossa, ferramenta, capilli, anguillæ, & alia id genus. Neque enim posse locum inueniri vnde hæc exeant, neq; causſam, propter quàm tandiu conseruentur, atq; augeantur. sexaginta enim vel septuaginta huius materię libras, potuisse iam totũ ferè corpus consummere, atq; ideò nullum ex Patauinis Professoribus repertum esse, quanquam doctissimum, atque experientissimum, qui huius excretionis naturam, ac locum aperte aperire, aut proferre ausus sit. Argumento sanè certissimo, nullam huius rei inueniri posse naturalem causſam, sed supra naturam esse. Ego enim palam dico, non esse hoc præstigium, aut fascinationem, neque hanc substantiam esse omenti, vel iecoris partem, sed quandam tumoris speciem, veteribus ignotam, recentioribus Natam nuncupatam; quàm non minus internas, quàm externas partes obsidere posse puto. Duas verò in externis partibus quandoque maximas vidi; atque vnam, ponderis librarum xxv. in Reuer. Monacho S. Iustinæ, in ceruice existentem, Excell: AEmilius Cam

pilongius

pilongius nemini ignotus,& ego operante Excell: D. Aloysio ab Augelo, Chirurgo illius Cœnobij, incolumi patiente iam ferè septuagennario, abscidi inssimus: &ad integram sanitatem perduximus, has easdem materias continentem.

Alteram verò iam vlceratam, in femore cuiusdam adolescentis ad Plateam Crucigerorum notaui, quotidiè incrementum suscipientem: à qua, Tiberius Fialetus Chirurgus Bononiensis peritissimus Fel. Mem. quotidiè libras quatuor,& quinque glandosæ, carnosæ, pinguisque substantiæ, & hæparæmulantis huic omni ex parte similis excidebat. Hanc ergo Natam, cuncta hæc in se continentem, in hac Virgine ad ventriculi fundum genitam esse credo, tandemque post casum illum antea relatum disruptam, quotidiè aliquid purgasse, idq; indesinēter nunc quoq; facere censeo; quia tumor iste illud idem suscipit incrementum, quòd in illo externo iam disrupto cuius antea memini non semel factum obseruaui. Sed de hac re satis, de qua in eum tantum finem egimus, vt ostē deremus magnam in corpore putredinem, absq; veneno esse posse.

CAPVT XXXV.

VENENVM EX LEVI ETIAM PVTREDINE FIERI POSSE.

VEnena absq; vlla putredine fieri, si de illis sit sermo, quæ sibi ipsis venena non sunt, sed alteri tantum: res est vsq; adeo

clara, vt confirmatione non egeat. Neque enim Arsenicum, Antimonium, Argentum viuum vel alia id genus quæ homini venena sunt, vllam habent in se putredinem, quemadmodum neque Scorpius, aut Vipera, vel alia fera venenata. Imò verò hęc substantia, quæ homini venenum euadit, ipsis est vsq; adeò naturalis & propria: vt scripserit Seneca quincto Epistolarum Epistola xxxi. venenata animalia, nunquam antea verminare, quã fulmine tacta fuerint. quasi dixerit Seneca, venefica animalia nullam in se augere putredinem, quo vsq; firmam, & constantem habuerint formam illam specificam, à quo venenum emanat. Quod si propter vim fulminis alteretur temperamentum, infirmetur calor: verminare possunt. Hanc eandẽ ob caussam humana saliua ieiuni hominis, quam Galenus, & Scorpij & aliarum bestiarum venenatarum antidotum esse dixit; ex putredine non fit, sed inter naturalia excrementa reponitur. At verò si de veneno mentio fiat, quod corpori in quo generatur est noxium: longè alia est ratio. Aliquã enim hoc supponit mutationem à proprio & naturali statu, nonnisi putredinis sobolem. Sed cum putredinis variæ sint materiæ, modi, & gradus vt antea diximus: hinc fit, vt quandoq; putredo fit minima, quanquam venenum sit maximum: quandoq; putredo maxima, venenum verò nullum, aut minimum. Quamobrem autem hæc fiant, iam explicare aggredior. Venenum, cum sit proprietas toto genere corpori aduersaria, atq; ideò facultatibns corporis longè superior: debet quoq; reperiri in subiecto, quod habeat formam substantialem, & temperamentum non infirmum. Siue

enim

enim hæc proprietas sequatur formam mixti, siue temperamentum, siue etiam virtutem; certum est illam in materia omninò putrida, nullas amplius vires habituram. Nam quæ valdè putrida sunt: vel desinunt in elementa, & sic nullo modo intra corpus possunt esse subiecti venenum: vel si non desinant in elementa, saltem infirmissimas obtinent vires, corrupta iam forma, & euanescente calore innato simul cum humido substantifico. Neq; verò dicat quispiam, extraneum calorem, tunc fieri veneficæ proprietatis instrumentum. Hoc enim concesso: poterit quidem produci venenum præsentaneū, vel citò interficiens, vel citò ad salutem desinens, quale fieri videmus in febribus pestilentibus: quæ aliquando quidem excellentiam habēt putredinis, & ratione copiæ humoris putrescentis, & ratione loci præcipui in quo fit putredo, & denique; ratione gradus corruptionis qui insignis est; At venena quæ permanentiam sint habitura, subiectum requirunt, vel non admodum putredini aptum, vel quod actu tunc non admodum putrescat, sed mutetur duntaxat à naturali statu mutatione læui, cum qua maneat quidem mixtum: verum noua agendi proprietate donatum, prout noua in eo facta est temperies, vel formæ mutatio. Hac ratione videmus sanguinem extra venas, quādoq; concrescere tantum & in grumos verti, quæ læuior est putredo quàm suppuratio, exitialis tamen atque apprimè venenosa: vt abundè docuit Gal. 6. de loc. aff. cap. 4. & Ioannes Langius 12. Tomo Epistolarum, Epistola 1. Sic & in venis idem sanguis imputridus, veneni naturam contrahere videtur, dum in vtero retentus, historicas producit

passio-

passiones: expurgationis autem tempore, specula inficere, vina in dolijs corrumpere, herbas virentes exsiccare, atq; alia id genus praua efficere dicitur. Semen quoq; à naturali statu quàm leuissimè mutatum, noxiam subire naturam, imò sanguine ipso menstruo deterius esse: docuit idem Galen: confirmarunt Fernelius, Hollerius, Siluius, aliq; plurimi, quorum antea memini.

Neque verò magnam posses inuenire putredinem in parte determinata externa, angustoque loco, transpirabili tamen & minimè humido, qualis est pes, aut digitus, ex quibus venenum eleuari pernicioßissimum, in superioribus capitibus ostendimus. Huius meminit non semel Galenus, qui in humanis corporibus inquit, gigni aliquando proprietates substantiæ, quæ potestate & virtute tum virus rabidorum canum, tum lethalia medicamenta repræsentant, quæ &si in affecto loco, nullum protinus symptoma quod notabile sit pariũt: post quatuor tamen vel sex menses, aut löginquiorem temporis vsuram, hominem perimunt. Si ergò causse istæ tam longo temporis spatio latent in corpore, nulla prorsus apparente noxa: quis quæso audebit affirmare, has ex insigni putredine ortas? Si dicant hoc, dicent quoq; caninam rabiem, morsu inflictam, quæ menses, & annos plurimos latet, summam redolere putredinem. At quomodo in tam exigua mole, insignis potest esse putredo? vel quomodo in substantia virtute sicca, & ex calore, ac siccitate genita, potest tam grandis esse corruptio? Rabiem siue sit in canibus tantum, vt visus est voluisse Galenus, siue etiam in vrso, lupo, camelo, equo, asino, leopardo, fele, vulpe, simia, vt

volue-

voluerũt Aristoteles, Columella, Plinius, Cælius, Aurelianus, Auicenna, Albertus, doctioresque omnes, ac rerum naturelium peritissimi, ex calida siccaq; intemperie gigni creditum est. Vnde ergò tanta putredo? Sit itaq; huius capitis conclusio, ratione & experientia confirmata, venenum vel absq; putredine, vel saltem absq; insigni putredine fieri posse. Itaq; ad tertium membrum propositum accedamus.

CAPVT XXXVI.

VENENVM HOC SARMATICVM FIERI CVM LEVI PVTREDINE.

SI quæ hactenus dicta sunt veritatem continent, videlicet Mixta insigniter putrescẽtia, vel desinere in elementa, vel infirmissimas obtinere qualitates ac vires, vel si quas habeant à calore putredinali & extraneo, easdem quamprimum amittere; contra verò, quæ parum putrescunt, & leuiter a priore statu mutantur, formas ac qualitates habere validas, diuque proprietatem corpori aduersariam retinere posse: profectò statim sequitur, morbum hunc Pocutiensem, esse in subiecto non admodum putrido, cum diuturnus sit, maximamq; habeat agendi potestatem. Idem verò confirmat subiecti natura, omnium minimè ad excellentem putredinem apta. Est enim vt diximus pinguis, & oleosa, oleo autem nihil minus putrescit. Citius enim computrescunt ossa, propter defectum calidi & humidi innati, hincque carie

rie seu marcore afficiuntur, quæ illis putredo existit, quàm oleosa substantia calido innato referta, humiditatem habens nõ aqueam aut fluidam, sed crassam & coherentem : atque ideò putredini reluctantem. Ceterum sicuti oleum, pinguedo, butyrum, vno verbo corpora omnia quæ oleosam, pinguemque substantiam continent, vt nuclei pinus, amigdalæ, chrysomila, pistacia, aliaq; id genus plurima, rancida ob vetustatem, ac venefica reddi cernimus: vt propterea Sanctes Arduynus in suo de venenis opere, hos quoq; fructus rancidos, in venorum Catalogum reposuerit; pari ratione oleosam substantiam in humanis corporibus contentam, si aliquando à propria natura declinet, raucidam hanc putredinem corpori admodum aduersariam, in subiecto tamen non admodum putrido exiuentem subire, non absq; ratione antea quoque protulimus. Et sicuti fructus illi, quos venenatos euadere diximus, omnium difficillimè in limum atq; elementa transeunt, contra quàm alijs aqueis & humidis cõtingat, qui primo in superficie situm contrahentes, deinde secundũ totam substantiam corrumpuntur, neq; tamẽ venenosa sunt: ita & hæc substantia Pocutiani veneni subiectum, formam non amittet suam, tametsi venefícam suscipiat proprietatem.

Docuimus hactenus quomodo sine magna putredine, magnum possit esse venenum. Alia quoq; soluimus dubia. Quia verò rursum alij emergũt scrupuli, atq; egregia quædam problemata: hæc in sequenti capite dilucidabimus.

CAP.

CAPVT XXXVII.

SOLVTIO QVORVNDAM PROBLEMATVM.

PRimum problema quod proponitur, est, cur pilorum inuolutio illis non aduen iat qui caput communi lixiuio lauant: sed vel ijs, qui lotiones intermittunt, vel medicato vtuntur lixiuio.

Ad hoc problema respondeo, tunc tantum fieri pilorum inuisc ationem, cum pinguis, vel oleosa materia quàm propriam veneni sedem diximus, extrinsecus duci possit; At verò hæc cum sit lenta, & viscida, excretioni est inepta, nisi vel fuliginis, fumiue adminiculum habuerit, aut salteni lixiuij medicati vsu, fuerit attenuata. Itaq; ex communi capitis lotione, fuligo, ac fumus facilè digeritur, substantia verò viscidior relinquitur, hinc Plica non succedit: At si intermittatur lotio; pori obstruuntur, nil prorsus excernitur; hinc fuligo, fumusq; statim in capite abundant, viscidæ illi substantiæ miscentur, ipsam attenuant, ac rarefaciunt deinde verò impetu facto, statim egrediuntur, initio à fuligine sumpto, vt cirrorum exemplo superiùs docuimus, reliquis deinde succeden tibus, ac inuisc ationem tandem complētibus. Ex medicata verò lotione, etiamsi fuligo, ac fumus quamprimum extrahantur, ipsa tamen pinguis materia non remanet, quia à facultate lixiuij vel sphōdylio, vel fabis alterato, attenuatur, porique patent iores reddūtur. Est enim sphondylium ex 8. simpl. acris, extergentisq; facultatis, vt intrinse-

cus quoq; obstructiones sanare, atq; icteritiæ succurrere possit. De fabis idem esto iuditium, quæ vt detersoriæ, viscidiori materiæ facilem parant egressum.

Ex hoc verò, alterius cuiusdam Problematis solutio patet. Cur apparente Plica, dolores & cetera omnia mala desinant? Caussa est, quia virulenta hæc materia, primum à membranis, neruis, atq; articulis in caput ipsum attracta, & in pilos transmissa, quotidiè per eundem locum purgatur, & insensibiliter ac sensibiliter per furfures, ac pediculos digeritur. Etenim hoc virus vbi iam capillos obsedit; eodem modo materiam ad se trahit, quo etiam trahere solet, vbi circa artus reperitur. Sicuti antea docuimus.

Sed cur præcisis capillis maiori ex parte recrudescit morbus, & grauior quàm antea reuertitur?

An quia venenum vt dixi, primam ac præcipuā habet sedem in pingui substantia, quæ si tota iam in pilos fuerit transposita, ex præcisione nihil mali sequitur. Quòd si fortè sit tantum in latione, & motu, propterea portio, tantum quotidiè simul cum fuligine, alijsq; vaporibus educatur, portio tamen alia adhuc in corpore lateat; ex importuna hac præcisione, statim pinguis hæc materia, vt potè quæ frigidi aeris externi iniuriam experitur, denatur; ac circa ipsos cutis meatus concrescit, nec amplius excerni potest. Quæ verò à porislongius abest, adhuc mobilis, & vaga, quasi violenter repulsa, interiora petit; atque vel oculos, vtpotè cuti capitis propiquiores; vel bracchia, aut crura, pro partis susscipientis imbecillitate, demolitur.

Sed quomodo potest tamdiu in corpore latere,

vt

vt quidam toto vitæ ſuæ tempore hac implicatione teneantur? An non patet rabiem quoq; caninam, Menſes, Annoſq; plurimos occultari. An non conſtat pleroſq; eſſe venenatos viros ac mulieres, qui ſuo veneno ceteros interficiũt? vt de puella napello nutrita Alexandro Macedoni ab Indorum Rege dono data ſcribit Auerroes in Proemio 3. Phyſic. quæ quoſcunq; ad ſui complexum admitteret, interficiebat. Sed quid quæſo aliud eſt venenum ad tempus datum, quam venenum latens? Dari autem venenum ad certum tempus, docuit exemplum M. Attilij Reguli ab Agellio lib. 1. cap. 4. propoſitum, qui cum miſſus eſſet à Carthaginenſibus vt Romanis permutationem captiuorum ſuaderet: venenum ſibi à Carthaginenſibus datum, non quidem præſentaneum, ſed temporaneum affirmauit, quo paullatim agente, contabeſceret. De qua re plura ſcripſere Doctiſs: Mercurialis Præceptor meus, Cardanus, Valeriola, Pareus, Baccius, Mattheolus atq; alij plurimi quos breuitatis gratia, ſilentio prætermitto. Latet ergò venenum in corpore. Et quemadmodum venenata animalia venenum minimè habent in totum corpus diſtributum, ſed in aliqua determinata parte reſeruatum, velut paſtinaca marina in extremitate radij, vipera in veſicula circa dentes, ſcorpius in cauda, & ſic de ſingulis: ita & venenum in humano corpore exiſtens, vel in capite, vel in oſſibus, vel in vnguibus, vel in alia ſimili parte ſeruari poterit, interim homine nihil mali ſentiente. Hinc dantur Epilepſiæ, Palpitationes, Furores, aliaq; id genus ſymptomata, periodos cum lõgis quibuſdam interuallis habentia: latente tunc ve-

neno, in certa corporis particula, pede scilicet, sura, coxa, bracchio, manu, capite, vel alia simili, vt antea diximus. Si ergo venenum tamdiu latere potest, donec in partem vel præcipuam, vel sentiẽtem irrepat, quod etiam docuit Galenus 3. in 3. epidem. 75. & 2. Prorrhet. 17. & alibi; quid prohibet quominus dicamus in hoc etiam casu, tam diu latere posse, quandiu in pilos continuata quadam serie transmittatur, quibus excisis, sublataq; sibi sede in qua se recondat, iterum recrudescere, vt per vniuersum corpus dispergi rursus valeat?

Sed cur quibusdam innoxiæ præceditur Plica, alijs verò spontè cadit, ac soluitur morbus?

An quòd naturalis facultas expultrix potest paulatim totum extrudere labem, interim ab alteratrice valida confirmatis partibus, mutatoq; in melius temperamento.

Postremum succedit, omnium longè difficillimum. Scilicet, cur hæc materia in pilos transmittatur potiùs, quàm insensibiliter digeratur? aut cur si maligna est, Defluuium non faciat aut Ophiasim, aut Alopeciam? Huic problemati facilis prima frontè videtur responsio: quæ tamen maximas habet difficultates in sequenti capite explicandas. Responsio est. Venenum istud habere cum capillis sympathiam. Habet verò sympathiã, quia illius materia eadem est, cum materia pilorũ.

Statim video aliquem mihi dicturum. Cogita, quid dicas? antea demonstrasti hoc veneni subiectum esse humidum, pingue, ex parte sanguinis puriore genitum, ex quo etiam fit semen: quomodo ergò erit hæc materia pilis communis, qui ex umoso tantum excremento generantur? Memi-

ni

ni dictorum; Hæc fateor: in eadem tamen sententia persisto. Quòd abundè, ni fallor, iam iam explicabo.

CAPVT XXXIIX.

DE PILORVM CAVSSIS EX COMMVNI SENTENTIA.

PIli, partes nostri corporis vsqueadeo ignobiles, vt à plerisq; inter excrementa reponantur, modum sui ortus, ac causſas inuentu tam difficiles, & occultas habent, vt si vera dicere fas est, nihil inuenias apud Aristotelem Galenum aliosq; antiquos scriptores quod non obscurum valdè, & imperfectum sit: nihilque apud recentiores, quod maiori ex parte falsum non reperiatur. Ego itaq; cum disputatio ista ad nostra placita comprobanda, & ad prorsus dissoluenda dubia omnia proposita, ac proponenda maximopere facere possit; primo quidem communiorem, omnium de pilorum generatione sententiam & quam ad Gal. & Arist. mentem esse putant proferam: deinde verò illam impugnabo: tertio & vltimo propriam in medium afferam; illamq; auctoritate, ratione, & experimentis confirmabo.

Est ergò vt summatim agam, hæc de pilorum causſis vulgata, & trita apud omnes (Argenteriũ non excipio) opinio, Pili materiam proximam, & immediatam, esse tertiæ coctionis excrementũ, non illud quidem tenue vocatum, quod, vel quotidie insensibiliter educitur, vel quandoq; in sudo-

res

res transit: sed crassum nuncupatum.

Quod cum triplex adhuc esse possit, humorosum nempe vnum, vaporosum adhuc duplex, tenuissimum scilicet ac sicciſſimum, & minus tenue ac siccum, quòd moderatam in se aliquam viſciditatem, vel lentorem contineat; neq; ex primo, neq; ex secundo fieri pilum, sed ex tertio tantum conueniunt omnes. Non ex primo, quia propter corpulentiam, aut poros non ingreditur, aut statim retrocedit: Non ex secundo, qa meatibus hærere non potest, iccircò exiens cuti adhæret, & sordem producit. Ex tertia autem illa substantia, vtpotè vaporosa, ac suliginosa, vel fumosa, poros ingrediente, & ob sui lentorē in ipso meatu hærente, pilum fieri asserunt, noua semper accedente, prioremq; foras propellente, atq; in teretem, rotundamq; hanc formam perducente. De immediata materia ita censent.

Quòd verò ad mediatam pertinet, hanc docuit Gal. pro colorum varietate, variam esse, in albis pituitam, in flauis bilem flauam, in ruffis bilem pituitæ admixtam, in nigris verò dixit esse suliginem exactè vstam. Ab hac sententia profectò minimè mihi videtur recessisse Argenterius, etiã si aliam se inuenisse commentus sit, cum inquit pili materiam esse duplicem, vnam quidem tertię coctionis excrementum; alteram verò pituitam perpetuò cuti subiectam. Non differt inquã à priore. Etenim hæc pituita cuti adhærens, excrementum est tertiæ coctionis sicuti & reliqua. Hanc Galenum uoluisse ad pilorum generationē concurrere, illius dicta secundo de temp. quincto testantur, quæ iam proposuimus, dum albos pilos,

ex

ex pituita fieri affirmat. Hactenus de cauſſa materiali.

Effectiuam autem multiplicem inueniunt, aliã quidem pili formatricem, quàm dicunt eſſe meatuum anguſtiam, cutiſq; temperamentum; aliã verò eleuantem fuliginem, fumumue calorem videlicet innatum; aliam deniq; mouentem eundem vaporem, ac fuliginem ad meatus; facultatẽ ſcilicet expultricem.

Ita hactenus qui de pilorũ generatione aliquid dixere, philoſophati ſunt, quorum ſententias in ſequenti capite diligentiſſimè examinabimus.

CAPVT XXXIX.

PROPOSITA SENTENTIA EXAMINATVR ET IMPVGNATVR.

MVlta ſunt profectò in hac ſententia quæ minus placeant, atq; omni vt cenſeo carent ratione.

Illudq; primum non accipio vllam reperiri pili ſpeciem, quæ ex ſolo exactè vſto fuliginoſo excremento producatur: quod tamen docuit Gal. ſecundo illo de temp. quincto. Qui enim fieri poteſt, vt ſicciſſimum corpus, per iuxta poſitionem partium protendatur, flexile, coherens, molleq; reddatur, vnctuoſum fiat, igni admotum flammã, crepitumq; emittat? pugnant hæc cum ratione, & experimentis: Iccircò Ariſtot. 4. Met. materiam omnem quæ ductibilis, vel trahibilis, vel commaſſabilis eſſe debeat (qualem puto eſſe debere pili ma-

materiam si per angustos meatus transiens, hanc debeat suscipere figuram) humiditatem necessariò in se continere docuit. Et de inflammabili verba faciens, inquit, ipsam quoq; exhalabilem esse, fumumq; emittere, contra quã in vere exusta fuligine experiamur, quæ fumum non emittit, & potius ad carbonabilem, quam ad inflammabilem accedit.

Sed neq; alterum verum est, fuliginem, aut fumum, alijs saltem vaporibus mixtum ad pili generationem necessariò concurrere. Nam quæ necessariò concurrant: per se & quatenus talia insũt. At ex regula Logica, valet consequentia à quatenus ipsum, ad de omni. Si ergò fuligo per se ad pilorum generationem confert, ergò nullus generabitur pilus absq; fuligine; at hoc esse falsum docẽt pili albi, quos ratio suadet nullam habere fuliginem admixtam; cum nigra existens? necessariò colorem ab albo diuersum constituat.

Neq; verò tertium illud dictũ probatur, quod tamen Argenterio quoq; placuit, videlicet albos euadere pilos ex pituita tantum. Peto enim si ex vnica pituita albi fiant, quomodo ex nigris, vnica die, aut nocte euadunt albi? An fortè qui antea ex alia materia geniti fuerant, decidunt, atq; in loco illorum noui substituuntur? Non equidem; Quomodo ergò albi fiunt ex pituita omnes pili? Albos autem ex nigris, vel aliter coloratis vnica nocte aut die tales euasisse, pluribus cõfirmari posset exemplis, quæ apud varios leguntur probatissimos scriptores, vt Leuinium Lemnium lib. secũdo cap. secundo de complex. apud Scaligerum exercit. 312: apud Adrianũ Iunium com. de coma:

qui

qui omnes scribunt, eos qui ex inopinato quodã casu, in metum insignem, in animi consternationem, subitamq; periculorum, aut intentatæ mortis formidinem inciderunt, temporis momẽto floridam iuuentam in pilum commutasse canum.

Quòd ipsum alijs plerisq; longiore tamen temporis curriculo, in ætate admodum florenti, temperamentoq; apprimè calido, non rarò contingere videmus. Vt propterea ad pituitam confugere, tanquam huius albedinis caussam, non modo falsum, sed & ridiculum videatur; cum plures nouerim ego, atq; in præsentia dignoscam, calido siccoq; cerebro donatos, ante debitum tempus, canos reddituos.

Fortè ad Aristotelem confugient, dicentem, ex putredine canitiem oboriri. Quòd si verùm sit, poterunt hi suam sic tueri sententiam; Pilum semper ex pituita album fieri, quatenus dum putrescit, pars illius magis aquea à centro, ad circumferentiam tendit, ibique situm illum contrahit, qui in pomis quoq; aureis, vel limonibus, vèl granatis, (quæ nos muffida vocamus) contrahi consueuit: qualem etiam in conclusis humidioribusq; locis, parietum, aut terræ superficiem velare cernimus. Hunc itaq; situm, pilum facere album, atq; ideò senes hanc ob caussam vulgo muffidos vocari consueuisse.

Ceterum nihil valet hæc illorum ratio, cum (apud me) falso innitatur fundamento; pilorum scilicet canitiem situi comparandum esse, & eorũ albedinem muffidæ putredinis speciem existere.

Etenim quæ hoc modo alba sunt, colorem habent in aerea quadam substantia vsqueadeò rara,

& ſpumoſa, vt vix tacta diſſoluatur, atque agitata, diſſipetur. Non ſic pili albedo, quæ lota, & quouis modo confricata, ſemper eadem permanet; propterea ad putredinem referri non poteſt. Niſi alius quidam ſit putredinis modus in quo albus color emergere poſſit; quē planè ignoro. Atq; ideò dum illum mihi propoſitum non intelligo, cogor ab Ariſtotelis ſententia recedere, neq; vllo modo arbitrari, canitiem ex putredine ſuboriri. Et eo potiſſimum, quòd neq; importunam, paulatim, aut confertim factam, ad putredinem referre poſſimus. Sed neq; illam quæ ſequitur vitiliginem: confitente etiam Ariſtot. tertio de Hiſt. Animal. xi. ideò in vitiligine albos eſſe pilos, quod cutis ſit alba. Multò autem minus illam quæ naturalis eſt, & ſtatim à primordijs generationis contrahitur. Vt non modò Thirreno Tarconi, Cygno Troiano, Tarquinio Priſco, alijſue priuatis contigiſſe legimus, ſed nationibus nonnullis, vt Pandoræ Indiæ Populis, Celtis, atque Albanis Schitis familiarem, ac propriam eſſe, Plinij Diodori Siculi, atq; aliorum teſtimonio comprobatum habemus. Hos itaq; omnes vel ex putredine, vel ex pituita, albis pilis oriri, abſonum eſſe puto. cum apud illos tot ſint temperamēta, quot etiam apud nos numerari conſueuerunt.

Tranſeo ad alia, bilioſum ſuccum eſſe flauorū pilorum materiam, minimè recipio, eandem ob cauſſam, propter quàm ex fuligine fieri non poſſe docuimus. Eſt enim humor hic lentore, ac viſciditate illa carens, quàm ad pilum promiſſum, ſequacem, flexilem, atque vnctuoſum neceſſariam eſſe diximus. Et quòd de bile dictum eſt, idem de me

lan-

lachoIia intelligi volo. Bile enim flaua vel ficciot, vel certè non minus ficca eſt. Adde quòd flaui plerumq; ſunt pili in minimè bilioſis, albi verò vt diximus in bilioſis, & atrabilaribus in iuuenta.

De ſanguine quidquid nõnulli hac in parte ſentiant, verba non faciam, qui cum libentiſſimè hoc recipiam, pilos habere pro materia tertiæ coctionis excrementum, iccirco ſanguinem ſub propria forma exiſtentem. nullam cenſeo habere cum pilis in cute genitis affinitatem. Dixi in cute genitis, quia de ijs qui in venis generantur, inferius loquemur. Hactenus de materia.

Quòd autem de vi pilorum formatrice proferunt, mihi ab omni ratione alienum eſſe videtur.

Pilos ſcilicet, qui cum certa quædam habeant ortus tempora, certa quædam ac determinata loca, certa quędam ſexuum diſcrimina, certos denique quoſdam longitudinis limites ac cancellos, præcipuè illos qui in palpebris, & ſupercilijs oriũtur, vt propterea Gal. ad diuinam prouidentiam, ac magiſterium contemplandum non vſqueadeo facilis, hac in parte Diuini Opificis maieſtatem admirari coactus fuerit; hos inquam ex ſola foraminum anguſtia, & cutis tẽperamento formari, haud quaquam recipere poſſum. Et eo minus non recipio, cũ ſciam, nõ eſſe conditos à natura in ipſa cute poros, ac meatus, in quos ſe huiuſmodi excrementum ad pilos producendos aptum recõderet, ſed ab ipſamet fuliginoſa, fumoſa, vaporoſaq; ſubſtantia, impetum faciente, & exitum quærente, effingi conſueuiſſe; vt docuit Gal. 2. illo de temp. 5. Quòd ſi ita eſt, ſicuti reuera eſt, quomodo ergò dicemus, meatus iſtos formam pilis tribuere, qui nõ

ex professo, aut naturæ consulto, sed casu quodam sunt facti, ac suo effectu posteriores, videntur. ita ut quòd tribuit formam, generetur ab eo quod suscipit formam, sic re ipsa formata, ante formatricem facultatem existente ; absurda sanè falsa ac refellenda opinione. Et eò magis absurda, quòd si ex hac tantum caussa cutis meatus fingerētur, & pili suborirentur ; in pueris, mulieribus, pituitosisque, in quibus cutis mollior, tenuior, rariorque est, omnium maximè pili toto corpore deberent succrescere. Accedit quod vbi non essent anguſti hi meatus, ibi nunquam pili gignerentur, sed tamen quandoq; in abscessibus fiunt, in renibus, in uenis, in alijs quoq; locis, vbi pori non sunt, ergò falsa est opinio ista.

His ipsis rationibus videor me aliud quoq; refutare posse, expultricē videlicet facultatem illam esse, quæ materiam pilorum ad huiusmodi poros appellant. Ego quidem sine naturalibus facultatibus hunc vaporum motum minimè fieri censeo, sed in vnam expultricem quæ noxia tantum depellit, totam hanc materiæ transmissionem referre, rationi consonum esse non video. Cum ex hac materia, transmissa, non excrementum, vt multi putant sed particula nostri corporis ad multa vtilis constituatur, vt quoti diana docet experientia, docuitq; abundè Gal. in libris de vsu part. conscriptis. Oportet ergò aliam esse superiorem facultatem, quæ expultricem dirrigat ad agendum certò loco, modo ac tempore, qualis etiam in emissione dentium reperitur.

Hæc cum de pilorum generatione, ac caussis non placeant : reliquum est vt de meliori sen-

sententia cogitemus, quam sequenti capite aperiam.

CAPVT XL.

CATHOLICA DE PILORVM GENERATIONE AC CAVSSIS.

NE verbis potius quàm reipsa agere videar, statim quid de pilorum materia proxima, ac remota, caussisq; omnibus effectiuis sentiam, libentissimè aperiam. Censeo itaq; proximã, ac præcipuam pili materiam, esse vaporem quendam pinguem, in tertia coctione relictum, tamquam excrementum non quidem inutile, sed vtile, ex quo etiam semen generatur. Sed alia atq; alia ratione. Nam semen fit ex eo quòd accessit ad partes, impermutatum autem remansit: hoc verò ex quo pili fiunt, cum determinatæ partis alterationem subijt, & simul cum alijs quibusdam excrementis ichorosis, pituitosis, biliosis, aut melancholicis, pro temperamenti varietate, varijs, in carnibus totius corporis, atq; sub ipsa cute redundat.

Ex hac igitur materia primò ac per se pilum gigni censeo, vt valeat consequentia à per se ad de omni, videlicet, omnem pilum ad sui generationem talem suscipere materiam. Neq; vllum absq; hac materia stare posse.

Non inficior tamen, huic quoq;, alia tertiæ coctionis excrementa permisceri, præcipuè pituitã, subinde fumum, ac fuliginem, ex quibus deinde

de colorati euadunt, modo flaui, subflaui, ruffi, sub ruffi, nigri, vel alterius coloris. Atq; ideò varios pilorum colores, non ad humores refero, sed ad variam fuliginis ac fumi portionem, ipsi pingui, ac pituitosę substantiæ vario modo commixtam.

Hanc ergò materiam quia lenta est, ac tenax, puto quàm facillimè poris ipsius cutis hærere: perforari autem cutem ipsam, à tenuiore quodam excremento, siue eo quòd insensibiliter excernitur, siue illo quòd sordem producit, siue ab vtroque; non esse tamen in meatu illo, neq; in nudo cutis temperamento, præcipuam formandi rationem, sed hęc esse auxiliaria, & facultatis cuiusdam formatricis piliferæ instrumenta.

Iccircò causam transmissionis non solam facultatem expultricem, sed eandem formatricem, in ea cutis regione iacentem & in pingui illa materia residentem, vbi, & ex qua pili succrescunt esse reor.

Hæc omnia singillatim quidem nobis essent probanda, sed quia, quæ de facultate pilorum formatrice dici possent, ad rem nostram non pertinent: & quia partem hanc spero nos quamprimum absolutissimā visuros, opera & studio Marci Antonij Vlmi Philosophi, ac Medici Pat. in libro de Physiologia Pilorum, quem propediem in lucem proditurum, in tractatu iam diuulgato de fine barbæ humanę pollicetur: iccircò, ab hoc labore abstineo, atq; illud tantum dico, videri mihi satis, apertè Galenum facultatem hanc pilorum formatricem insinuasse, non modo cum Dei Opt. Max. hac in parte opificium esse docet, sed quando in libris de vsu partium, pilos herbis terræ nascentibus com-

comparauit, illoſq; dixit, neq; in arenoſo, neq; in apprimè vdoſo ſuccreſcere ſolo. Nil enim aliud voluit quàm oſtendere, nullam eſſe differentiam inter pilorum & herbarũ ortum, atq; incrementũ. Sed ſic eſt, quòd herbæ non fiunt ex terræ excremento, neq; formam ab ipſis terræ meatibus, aut temperamento ſuſcipiunt; imò verò vnaquæque herba, ac planta propriam habet facultatem formatricem, in propria materia ſeminali repoſitam; eget verò congruo quoddam terræ temperamento vt ſemen de potentia ad actum deducatur, vt deductum, faciliùs per illam erumpere poſſit, vt erũpens deniq; ab eadem bene temperata fomentũ, atq; incrementum ſuſcipiat.

Pari igitur ratione, pili propriam habent facultatem formatricem, in ſeminali, vel ſaltem pingui quadam ſubſtantia repoſitam, cuti potiſſimum hærentem, & in tertia coctione genitam; qui ſi cutem inueniãt mollem, ac perforatã, protrudũtur; deindè verò ab eadem cute bene tẽperata, & pingui hac ſubſtantia referta, conſeruantur, atq; incrementum ſuſcipiũt. Quòd ſi aliquando excerni nõ poſſint, nihilo ſecius generãtur, ſub cute autem retinẽtur, vt in morbo infantili vocato quandoq; fieri, inferiùs oſtendemus.

CAP. XLI.

PRAEDICTAE SENTENTIAE DILVCIDATIO.

ABſq; humida materia, atq; ea quidẽ glutinoſa pilum minimè cõfici poſſe, video doctiores omnes qui de pilis aliquid ſcri-

scripserunt sensisse, ob causssas antea dictas de pilorum sequacitate, ac ceteris conditionibus relatis.

Idcircò Magnus Hipp: in l. de Carnibus siue de Principijs inscripto, pilos inquit fieri ex glutinoso in capite existente. Et Gal. 14. meth. 18. ostensum (inquit) est, quòd ex succis qui per cutim trãspirant, quòd limosum est, id pilos tum à principio gignit: tũ de cetero veluti succrescẽdo auget. Et quãquam nonnulli illud ἰλυῶδες limosũ, legẽdũ putent λιγνῶδες fuliginosũ decipiuntur tamen, qa fuligo ad tincturam quidem est vtilis, ad productionem; ad augmentum verò, neutiquam. Iccircò idem Gal. 7. simpl. cap. de Ladano, de medicamentis quæ ad pilorum generationem, vel conseruationem conferunt verba faciens, illa inquit minimè esse debere admodum sicca, nè fortè humidam pili substantiam surriperent. Sed iam ab auctoritate, ad rationes transeamus.

Ex pingui substantia pilum fieri, non illud tantum persuadet, quod sequax sit, flexilis, extensibilis non friabilis, vnctuosus, flammam, ac fuliginem emittens, quæ omnia pinguedinem sequi antea docuimus; sed præterea quòd ex cute, parte admodum pingui, & ideò valdè palato suaui (vt cutis gallinarum, ac caponum exemplo vnusquisq; experiri potest) prodeat, augeatur, ac conseruetur. Vt hanc ob causssam quo pinguior fuerit ipsa cutis, eò magis animalia pennis, ac plummis abundent, contra verò ea emaciati, defluuiũ patiantur. Id quòd non in gallinis tantum, sed & in hominibus obseruare licèt, quibus tabe confectis, defluuium capillorum succedere, cõspicimus. Hinc Venereis plus nimio addictos, & senes, caluitium

tium pati videmus, quòd vtrisq; , pinguis hæc substantia deficiat, illis quidem cum semine effusa, vt propterea Cæsari tanquam libidinoso, caluitium probro verteretur: alijs verò minimè aucta, sed in illius locum succedente pituita ob temperamenti frigiditatem.

Ceterum sicuti ex defectu seminis fit caluitiũ, ita ex eiusdem abundantia luxuriat capillamentum. Hinc si Aristoteli, Plinio, ac Synesio capite de caluitio credimus, mulieres caluitium non incidunt: quod minus seminis effundant, ac viris multò minus libidinosæ esse consueuerint. Quanquam ego ipse tres nouerim mulieres caluitio tentatas, atq; ante me alias quoq; viderint, Argenterius, lib. Art. Med. Albertus Magnus 19. de Animal. cap. 6. atq; alij, quæ prostituta quadam libidine, virorum incontinentiam longè superantes: Hippo. de podagra, Arist. de caluitio, mendaces reddiderunt. Ceterum de his hactenus, nunc aũt illud est certissimum, quo minus semen effunditur, eo pilos numerosiores, ac lætiores esse; vt hãc ob caussam mulieribus non raro barbam exortam fuisse legerimus. Primum quidem apud Hippo. qui Phætusam Pythei coniugem, in iuuenta fœcundam, & Namysiam Corripi vxorẽ, ex defectu mensium, vel quod magis credo ex intermissa propter mariti absentiam venere: non modo barbam emisisse, sed vniuerso corpore hirsuto reddito, virilem habitum induisse scribit.

Quòd etiam Alex. Bened. lib. 26. cap. 4. de cur. morb. post illum obseruauit. Deinde verò apud Arist. idipsum legimus. qui quinto de gen. ani. 4. Mulieres Sacerdotes in Caria, ob hanc caussam-

barbatas fieri docet. Et tertio de Histo. Animal. scribit, pilos habentium, semen lentum esse, ceterorum non item: quia nouit partem materiæ seminis, in pilos transire.

Hinc quoq; in ætate pubertatis, aucta iam pinguí substantia ex qua semen, & pili producuntur: vno & eodem tempore genæ, & pubes pilis vestiuntur, vasa autem seminaria genitura replẽtur. Et quo maior sit seminis geniti portio, eo copiosiores, quoq; solidiores, ac densiores erunt pili.

Hinc pili ad radices glutinosum habent humorem, vsqueadeò tenacem: vt docuerit Aristot. quinto de gen. Anim. 4. corpusculum aliquod illos attollere posse.

His adde tot argumenta à decenti loco, moderata copia, proportionata longitudine, sexusq; discrimine desumpta, quæ tandem omnia videas seminalem quandam materiam præ se ferre, in qua vix ipsa formatrix resideat.

Accedit quòd si fuligo ex omnium sententia est pilorum materia, & omnis fuligo ex pingui generatur vt antea docuimus: sequitur necessariò pilum fieri ex pingui. Neq; valet quòd quidam cũ Gal. dicere possent, fieri quidem ex pingui, sed deusto. Etenim ex parte illa valdè deusta, quidquid sentiat Gal. pilus stare non potest, Itaq; necessum est prætet exustam illam portionem, aliam quoque non vsqueadeò exustam ascendere, quàm verius pinguem dixeris vaporem quam fuliginem: ita, vt fuligo tincturam tribuat, vapor autem pinguis, substantiã constituat. Quòd ipsum alij quoque loci in quibus pili gignuntur satis confirmant: Fiunt enim aliquando in renibus, in vasis spermaticis,

maticis, supra testiculos muliebres, in venis communibus, in mamillis, in spatijs inanibus totius corporis sub ipsa cute, vt nunc singillatim ostendam. Et in his omnibus, vel ex semine, vel ex proportionata materia semini respondente.

Nam vt à renibus incipiã apertè id docet Hip. 4. aph. 76. dicens.

„ *Quibus in vrina veluti capilli, &c.*

Et Gal. in com. Albos quosdam se incredibilis magnitudinis vidisse scribit, idcircò affectionem Trichiasim siuè capillitium vocat. Hos autem nõ absq; pingui aut seminali substantia fieri, non autẽ ex pituita tantum, quidquid sentiat Galen. ratio persuadet: cum frequentissimè crassa pituita per renes in vesicam transeat, rarissimè autem in capillos vertatur: non aliam ob caussam, quàm quòd raro etiam pinguis vel seminalis substantia, pituita sit admixta. Hinc Fernel. 3. Path. cap. 16. capillos istos ad vnicam seminalem materiam retulisse visus est, qui illos in vasis seminarijs ex semine gigni, apertissimè docet. Et Christophorus à Vega com. 4. de Vrinis, hos ex sanguine concocto, aut semine fieri asseruit.

Neq; ex alia materia credendum factum esse vllosum illum vermen, quem simul cum copioso semine in quoddam ephœbo Athenis eiectum esse scribit Plutarchus 8. Sympos. Probl. 4. quam ex hac seminali; Vt propterea Doctiss: Bauchinus Anat. præstantissimus, aliquando pilos viderit numerosos, muliebri testiculo succrescentes. De his igitur locis minimè in dubium vertendum, pilos ideò succreuisse, quòd seminalem haberent substantiam, vel simplicem, vel quæ saltem facilè cũ

alijs humoribus commiſceri poſſet?

De venis autem alia eſt ratio. Cum enim in venis præter oleoſam ſanguinis partem, alij quoque ſint humores, non facilè probare licèt, pilorum generationem magis ex hac pingui ſubſtantia, quã ex pituitoſa, vel melancholica conſtare.

Ceterum ſi ad rationes animum conuertamus, multò faciliùs pilum ex pingui ſubſtantia, quàm ex alia fieri poſſe inueniemus. Etenim pili quaſdam continent conditiones quæ alteri materiæ quàm ipſi oleoſæ, & aereæ ſubſtantiæ conuenire non poſſunt, nempè figuram teretem, ſubtilem, numeroſam, ac ſimul cum ſanguine motam.

Hæ conditiones terreſtri aut aqueo corpori non conueniunt, vt eſt melancholia, ac pituita, ſed tantum aereo, vel igneo. At ignea corpora, tenuia quidem ſunt, verum minimè ductilia, aut trahibilia, idcircò haudquaquam ſibiipſis cohærẽtia, aut in lineę formam excreſcentia, ſed quaſi atoma quædam corpora prorſus indiuiſibilia, qualia per putridas febres frequentiſſimè in vrinis excerni conſpicimus, humorum putreſcentium exuſtiones, vel cineres à Gal. vocatos.

Aerea verò ſubſtantia, neq; ex aqueo, ichoroue humore, neq; ex pituita viſcida eleuata, id prę ſtabit, cum vtraq; lentore careat, etiamſi ex viſcida pituita eleuetur. Etenim ex viſcido, vapor qui generatur, non eſt viſcidus, ſicuti qui ex pingui, pinguis eſt. Quandoquidem viſciditas in pituita eſt accidens quod ſequitur cauſſam vel præter naturam, vel nonnaturalem; lentor autẽ in materia pingui, ſequitur formam pinguedinis propriam. Itaq; cum pituita viſcida, & craſſa in vaporem ſoluitur,

uitur: illud denſum, fit rarum, neq; amplius viſci dum eſt: vapor autem pinguis, quanquam rariſſimus, lentorem ſemper in ſe continet, vtpotè formæ comitem.

Iccircò hic vnus in venis vel ſolus, vel alteri cõmixtus vapori, in pilum tranſire poterit, qualem vidiſſe Cardanum, & obſeruaſſe Slovacium antea docuimus.

Sed & eos qui in mamillis creſcunt, ex pingui materia fieri, certò, certius eſſe duco. Scio Ariſtotelem vij. de hiſtor: Animal (quem ſequutus eſt Azarauius tract. 14. Practicæ cap. 2. cui ſubſcripſit Cælius Rhodiginus atque alij) voluiſſe non gigni pilum in mamillis, ſed potu adſumtum, ad mãmas tranſire: quorum ſententiam, iure optimo irrident, ac reijciunt Alexander Benedictus libr. iij. Anatomicæ cap. iv. Veſallius lib. v. cap. xiix: Chriſtophorus Vega libr. iij. cap. x. Lectionis ſextæ artis Medicæ: Mercurialis lib. v. variar. lect. cap. iv. quidquid ſentiant pro Ariſtotele Cardanus iix. de varietate cap. xliv. & Thomas Vega ad libr. vi. de loc. affe cap. iij. quorum nullus rationem poteſt reddere: cur pilus potu acceptus, non magis per aluum, aut per vrinas educatur: quam per tot euripos & angiportus, ad mammas tandem ſe conferat. Et dato non tamen conceſſo, illum poſſe, ad mammas perduci: promtiùs ſanè per papillam excerneretur, quàm in glandulas reciperetur; præter quàm quòd ridiculum eſt, toties pilum hominis eſſe præparatum, vt in potum mulieris ſe ingerat, quoties videmus hoc malum fieri. Eſt itaque eius generatio, ex parte lactis pinguiore. Iccircò Nicolaus Florentinus, vir doctiſſimus Sermone

vij. Tract. vj. cap. xxij. pilos ex pingui materia fieri, apertissimè docet. Hæc oportuit multis confirmare; vt ostenderemus tandem existente, vna & eadem pilorum, ac Veneni Polonici materia; vapore scilicet pingui & humido atq; (albis exceptis) fumoso: permutari facilè posse internos affectus in pilos ipsos, conseruariq; in ijsdem, vt puta in parte, cum qua insignis intercedat sympathia & familiaritas. Sed quia ad hanc ipsam veritatem confirmandam, videtur mihi mirandum in modum facere posse, cuiusdam morbi infantilis, Pilaris vocati, narratio: propterea vniuersæ huic parti coronidem imponentes, morbi huius veteribus ignoti, fortè eo ipso tempore apparentis, quo Plica videri cœpit: historias referre non grauabor. Ostendit sanè hic affectus pilos aliquando in pueris, ex nulla alia causa, quam ex materia pituitosa, ac pingui in toto corporis ambitu, quasi sub cute collecta produci posse; vt iam iam, ex ipsismet Auctoribus de hac re scribentibus demonstrabo: quos omnes recensete, atq; eorum verba huc transferre nõ pigebit: quando res noua est, non minus, quam Plica admiratione digna, & nostræ huic confirmandæ sententiæ apprimè commoda. Audiant ergò libentissimè omnes, quæ de hoc affectu inueni, apud Andream Dudith ab Horekouiza, &c. in Epistola ad VVenceslaum Raphanum Medicum, quæ impressa est cum alijs multis apud Laurentiũ Scholcium lib. iij. Consiliorum: & Epistolarum Io. Cratonis, quæ sic habet.

„ *Liberi mei (quod te libenter cogniturum, pro tua in me bene*
„ *uolentia, certò scio) iam tandem conualescunt, vnius natu-*
„ *ræ, at potius Dei, naturæ omnis opificis, beneficio. Nullũ*

enim

„ *enim sibi adhiberi remedium passi sunt. quod quoties tenta-*
„ *bam, ita renitentes animaduertebam, & ab omni pharmaco-*
„ *rum genere abhorrentes, ac fletu, eiulationibus se se excrucia-*
„ *tes, vt maius à medicina, quàm ab ipso morbo periculum*
„ *impenderet. hoc vnum experiri libuit mulierculis Polonis*
„ *valdè vsitatum: quòd mihi profectò miraculi loco est, idque*
„ *eo magis, quod nullam eius rei caussam inuestigando reperi-*
„ *re possum. Injiciebatur in labrum aquæ calidæ, in quo pue-*
„ *ri lauabant, panis in micas friati manipulus, cineris item*
„ *parum; elotis pueris, aqua percolata, panis ille in massam*
„ *compingebatur. hæc massa in diuersas partes manibus distra-*
„ *cta, magnam subtilissimorum pilorum vim, oculis offerebat*
„ *primo die: subsequentibus autem diebus pauciores pili; post*
„ *quam conualuerunt, prorsus nulli apparuerunt. Hos illæ ca-*
„ *ninos, alię vermium pilos vocant, & morbi caussam ad hos*
„ *referunt.*

Superant fortè hæc omnem credulitatem; multiplici tamen Doctissimorum hominum testimonio confirmata sunt, & inter cæteros Ambrosii Parei Chirurgiæ lib. vij. cap. xxi. qui dictis consentiēs sic scribit. Dracūculorum mentio, aliud abscessus genus æque rarum mihi nūc in memoriā reuocat.

„ *Abscessus genus rarum in memoriam reuoco, id Cridones*
„ *(credo à crinibus) nostrates Galli nominant: pueros præser-*
„ *tim diuexat, ac quasi spinularum aculeis compungeretur dor-*
„ *sum, huc illuc se iactant, quietis impatientes, ab exiguis qui-*
„ *dem, qui vix aciculæ longitudinem æquent, sed crassis, & spis-*
„ *sis pilis, oritur id malum. Curatur fotu aquæ plus quàm tepē-*
„ *tis, quem mox sequatur litus ex melle, & farina frumenta-*
„ *cea. Sic enim pili subcutanei eliciuntur, & euocantur foras.*

Eundem affectum ad vnguem describit Hieronymus Montuus de infantium febribus, & malis. Ex quibus patet quàm maximam habeat partem in pilis producendis humida substantia ex pingui & aqueo commixta, minimam verò fumosa, postea

quam

quam infantilis ætas humido quidem & calido innato abundare poteſt, vt pilos in toto corporis ambitu gignat, non tamen fuliginoſo excremento. Atq; ideò, eandem putandum eſt, eſſe pilorum eorum materiam, quæ & vermiculorum ſub eadem cute productorum. Aliquando enim fiunt huiuſcemodi vermiculi in illiſmet pueris, in quibus pilos iam abundare diximus. Sed vt res certior euadat; audiamus reliqua quæ ad hunc Infantilem morbum ſpectant. Abundant in eodem morbo ac loco quandoq; vermiculi, aliquando autem ſine pilari morbo. Fides mihi fortè minimè dabitur: ſed teſtem habeo eundem Dudith, qui loco citato hæc ſubiungit.

„ *Præterea, humeros & brachiola inunximus farina, aceto per*
„ *mixta. Vix peracta vnctione, & abluta ſtatim, eminebant*
„ *ex cute diuerſis locis tubercula quædam puſilla, vt papauera,*
„ *coloris cinericij (quæ ab illis vermium capitula eſſe dicuntur)*
„ *ea ſtatim cultello abradebantur. niſi id ocyus fieret, recondé-*
„ *bantur iterum, & intra cutem ſe recipiebant, hi quoq; ſiue*
„ *vermiculi, ſiue alio quouis nomine vocentur, primo multi ſeſe*
„ *proferebant, poſtea pauciores, poſtrema vnctione prorſus nulli.*

Hæc ex Dudith, pręter quem alij plures non defuerunt; qui huius puerilis, ac vermicularis morbi mentionem fecerunt: vt Georgius Kufnerus cap. xij. appendicis ad librum Lenolelli Fauentini de morbis puerorũ. Hieronymus Reuſnerus in diſp. Medica habita Baſileæ Anno 1582. Ioan. Schenkius lib. v. obſer: Medic: obſeruat 188: vt illos præ termittam qui de Dracunculis tanquam de affectu puerili meminerunt veluti Galenus 6. de loc. aff. cap. 3. Aetius Tetrabibli 4. ſerm. 2. cap. 85. Aegineta lib. 4. cap. vlt. Arabeſq; plurimi qui venam ciuilem

uilem, vel medianam, vel medeni, vel sanioſam, vel exientem vocarunt. Quæ omnia tanquam minus ad rem pertinentia à nobis prætermittuntur. Illud enim, tantũ eorum hac in parte adducendorum ſtudium fuit, vt demonſtraremus, Pilarem infantium affectum, ex illo ipſo hũmido conſtare, ex quo etiam vermiculi: tum vt ex conſequenti deduceremus, quòd veluti pediculi in capite, & vermes in ambitu corporis facti, non ſine pingui materia oriri poſſunt: ita neq; affectus iſte infantiũ nuperrimè à nobis deſcriptus. Atque hæc, quæ totius noſtræ diſputationis ſunt fundamenta, pluribus confirmare opus fuit: vt iam ſympathia illa ſeu conſenſus inter venenum hoc Polonicum & pilos ipſos, ratione communis materiæ, cunctis patere poſſet, qui fortè ab initio, nullam in ſe probabilitatem habere videbatur. Patet ergò quàm facilè virulentia iſta in pilos tranſire valeat, ſeruato etiam pilo. Neq; verò quis obijciat, debere ſaltem cadere pilos ob luem Veneream, quæ huic copulata eſt. Etenim magna pars non laborat lue Venerea: neq; omnis lues Gallica eſt capillis infenſa, vt quotidiana docet experientia: & ſi quæ talis ſit, fortè pilos etiam amouet, quanquam mihi hæc ignota ſint.

Satisfeci hactenus, ni fallor, potioribus Problematibus quę de Plica quæri poterant: nunc dubia, contra ea quæ diximus ſoluenda ſunt.

CAP. XLII.

SOLVVNTVR QVAEDAM DVBIA.

COntra hanc noſtram de pilorum generatione ſententiam, varia inſurgunt dubia, quæ nunc ad illuſtriorem illam reddendam, ſoluenda ſunt.

Primùm autem, quiſpiam quærere poſſet, quo modo pilorum materia pinguis eſſe dicatur, cum pili, partes putentur omnium frigidiſſimę, ac ſiccissimæ; pinguedo aut calida, humida, omnium conſenſione ſtatuatur?

Secundo, ſi ex pingui materia pili fierent, profectò corpora quo obeſiora, eo piloſiora eſſent: & tamen mulieres, pueri, viriq; humidiores, ac pinguiores, minus pilis abundant?

Tertio, Melancholici omnium maximè ſicci, & pinguedine deſtituti, glabri eſſe deberent, cum tamen reliquis piloſiores ſint?

Quarto, Spadones plerumq; imberbes conſpiciuntur: quibus tamen ratio ſuadet, barbam fieri debere promiſſam, ſeminis materia, vt antea docuimus, in pilos tranſeunte?

Quinto, ſenioribus cunctis deberent capilli eſſe decidui, quibus pituitam, loco ſanguinis oleoſi produci videmus?

Sexto, ſi ex pingui materia fiunt, pili: quomodo tam facilè prodeunt, quomodo nigri, fuſci, atque alterius coloris euadunt? Cur quandoq; albi in pituitoſis manifeſtè conſpiciuntur?

Sed neq; rationi conſonum videtur, hos facultatem

tatem habere formatricem, qui locum sui ortus non habent certum ac determinatum, sed quandoq; in tota cute, nonnunquam in renibus vtero, ventriculo, mammis, venis, abscessibus, ac toto corpore generantur, vt antea ostendimus.

Non ignoro alia præter hæc, nobis obijci posse: sed quæ potiora sunt attulimus; ad quę diluenda, statim accedemus.

Quòd igitur ad primum pertinet, fateor pilos iam formatos partem esse siccissimam, non tamen valet consequentia, ergò materia ex qua generantur est siccissima. Nã à pari dicere possem, ossa, neruos, membranas, tendines, quæ inter partes connumerantur siccas, ex sicca esse materia; cum tamen nemo non intelligat, partes istas ex semine fieri. Quid? nonne cornua quoq; sunt siccissima, & nihilominus ex humida, sunt substantia?

Nam si ex humida non fiant, quomodo, ergo erunt flexibilia, & dum oriuntur, extensibilia, sequacia, tenacia; & dum accenduntur, fumum emittentia? Nonnè sunt omnes istæ, mixti ex humido constantis, passiones? Sunt equidem; Imò verò mixti, humidum habentis oleosum, pingue, seminale, ab eo ex quo pilos produci diximus tantum dissimili, quod materia cornu, multo terreo sit commixta, vt propterea Arist. 2. de part. Anim. cap. 3. cornua ex terreo constare affirmauerit, atq; ideò grandioribus tantum animalibus fieri docuerit, quòd reliquis magis terrea sint: pili autem materia vapori vel fumo, ac fuligini misceatur.

Ceterum cornua ex seminali constare substantia, illud quoq; confirmare videtur, quod corni-

gera omnia superiorem habeant mandibulam dentibus vacuam. Argumento sanè certissimo, dentium materiam in cornua secedere. At dentes fieri ex semine nemo ibit inficias. Sunt enim in ossium censura: omnia autem ossa ex semine ortum suscipere, tota concedit medicorum schola.

Sed seminalem quandam materiam, ad cornuum productionem concurrere illud quoq; declarat, ceruos coitu vtentes, singulis annis cornua habere decidua, castratos nequaquam, quòd illis semen deficiat, his verò superabundet.

Hinc quoq; censeo, ceruas feminas cornibus carere, quòd sanguis qui in materiam cornu transire deberet, in alimentum fœtus secedat.

Hinc deniq; videas, cornua pro animalium varietate variam habere substantiam, figuram, numerum, magnitudinem, colorem, soliditatē, aut vacuitatem, atq; alia id genus plura, quæ facultatem sequuntur formatricem, in semine positam. Vt cùm apertissimum esse videatur, cornua apprimè sicca, ratione materiæ ex qua fiunt esse valdè humida, sicuti & calculi, qui ex pituita, in renibus, vesica, aliisue corporis partibus procreantur, & alij plurimi extra corpus, qui ex succo quodam liquido, atque humido concrescente generantur: ex his omnibus videor iure optimo ratiocinationis propositæ consequentiam negasse, qua dicebatur Sicci sunt pili, ergò non ex semine. Atque ideò dixi, primum hoc argumentum, nihil in se roboris continere.

Multò autem minus valet secundum. Etenim ad pilorum generationem non satis est pinguem reperiri materiam, sed opus est valido, & acri quo

dam

dam calore illam fundente, in vaporem dissoluen te, & ad poros mouente. Opus est præterea fuligi ne cutem penetrante meatusq; efformante.

In pinguibus verò & nimio frigido humido abundantibus, tantum abest vt hæc fiant: vt potius tota ferè oleosa substantia membranis affixa, à facultate illarum adipis formatrice, intercedentibus densitate, ac membranarum frigiditate, tanquam instrumentis, in solidam vertatur pinguedinem, pilis gignendis ineptissimam. Ex his verò tertij quoq; dubij patet solutio. Melãcholici enim ideò pilosi sunt, quanquàm emaciati, quòd tota ferè oleosa substantia in tertia coctione genita, ob vehementiam caloris fusa, & in vaporem versa, transeat in pilum.

De spadonibus autem, eadem est ratio, quæ & de ijs qui temperamento sunt frigidiore, atque obesi sunt redditi. Etenim hi quoque materiam augent pinguem, sed neq; in semen, neq; in vapore fuliginosum conuersam.

Ad argumentum de senibus, Gal. ipse respondet; qui inquit senum pilos herbis illis comparari quæ etiamsi verè nascantur, durant tamen tota æstate.

Cùm verò quærebant, quomodo pinguis materia viscida, ac lenta angustissimos poros ingredi possit.

Dico quia in vaporem soluitur, habetq; fuliginem antesignanam, & vt plurimum comitem, ac pedissequam, quæ facilem illi præbet ingressum.

Ex quo etiam patet cur ex pilis quidam nigri sint, vel medio colore infecti: alij verò albi tantum; etiamsi omnes fuliginis adminiculo foras prodire

dire videantur. Etenim qui colorem obtinent ab albo diuersum, fuliginem habent pingui substantię commixtam: albi verò minimè.

Quòd si quis quærat quomodo albi sine fuligine foras prodierint? Ante responsionem, distinctione opus est. Alborum enim pilorum alij à natiuitate, alij verò per ætatis decursum cani sunt redditi.

Et de primis quidem postea dicemus: quòd verò ad postremos pertinet, facilis inuentu est caussa, & modus quo exierint, quanquam sine fuligine sint. Fuliginem enim habuerunt admixtã, quo tempore in lucem prodierunt; & propterea vel nigri, vel aliter colorati, ante canitiem visi sunt. Qđ si quis rursum instet, quomodo, ac propter quas caussas sine fuligine sibiipsis connaturali stare possint. Quod ad modum pertinet, non est quod hac in re diu versemur. Neq; enim est fuligo vt iam diximus pars pili essentialis; sed accidentaria, colorem tribuens, non essentiam; iccircò sine illa stare potest pilus. Caussæ verò propter quas amittant pili fuliginem hanc, quatuor sunt præcipuæ.

Vel enim fuligo amplius non eleuatur; vel diuertitur, vel suffocatur, vel deniq; digeritur. Et propter has omnes caussas albi euadere pòssunt. Non eleuatur in frigidis, ac valdè senibus. Diuertitur in maximo timore, atq; animi consternatione. Suffocatur, vel in cute vitiligine affecta, vel in alio quouis, pituitosæ ac pinguis materiæ, prouentu. Digeritur deniq; à caussis extrinsecis valdè siccantibus, vt Solaribus radijs, lixiuijs medicatis, inunctionibus, suffumigijs ex sulphure, aut alia re consimili.

Itaq;

Itaque siue non amplius confluat fuligo, ex qua cunque tandem caussa; siue fluxa digeratur; pilum relinquet album, vel albo proximum. Etenim si non confluat, aeris externi beneficio, quod fuliginosi in pilis reperiebatur, sensim digeritur, ac dealbatur; eodem modo quo videmus filamenta, linum, telas, ceram, seuum aeri exposita dealbari. Si verò adhuc confluat, accedat tamen exsiccans caussa valida externa, pari modo albedinem subsequi necesse est; vt in plerisq; agricolis, pastoribus, ac Venetis mulieribus, obseruare licet.

Sed de his qui cani nascuntur alia est ratio. Cùm enim isti nullam videantur habere, vel habuisse fuliginis mixtionem: non etiam patet caussa propter quam cutem penetrare valeant? Hos tamen quatuor ob caussas puto albos esse, & oriri posse; vel quia fuligo illis quidem non misceatur sed præcedat, meatus in cute confingat, facilemq; materiæ albæ exitū paret: vel quia nulla etiam præcedente fuligine, cutis vsque adeò mollis, raraq; sit, vt facillimè à vapore pingui, & humido penetrari possit: vel quia fuligo quidem sit admixta, sed in vsqueadeò parua quantitate, vt à calore vteri digeratur. vel quòd magis credo, fieri potest, vt ob fortem matris imaginationem, multa etiam admixta fuligine, color tamen sequatur albus. Sicuti enim ad niuosos montes, propter solam niuium copiam, & perennitatem quæ sui speciem in brutorum animalium imaginatione imprimit, albæ nascuntur vulpes, picæ, pauones, atq; alia plurima animantia: ita canitiem, quibusdam Populis, naturalem, ex mulierum prægnantium firma, ac continua imaginatione fieri posse: rationi

valdè

valdè consentaneum esse censeo, cum ex eadem imaginationis vi, multò plura, ac maiora quandoque fœtibus innascantur.

Quòd si quispiam quinctã quoq; adderet causſam, aquarum proprietatem, illis regionibus familiarem; non refragarer: cum scribat Aristo. tertio de Histo. Anim. xii. aquas reperiri quæ pilos vario tingant colore. Iccircò Chalcidicem fluuium in Thracia, & alios quosdam, in Antandria docet, nigros, vel albos, vel flauos pecoribus generare agnos; vt affirmare idipsum in humano sexu euenire, non sit à ratione alienum.

Quòd autem de pituitosis obijcitur, quorum pilos esse albos ex pituita nemo ibit inficias; nihil contra nos facit, qui pituitam augere quidem pili albedinem libentissimè concedimus; solam verò pilum construere, constanter negamus. vt sicuti materię pingui admixta fuligo, nigrum, aut flauũ aliumue medium colorem facit: ita quoq; admixta pituita, album colorem augeat, foueat, ac conseruet.

Ad vltimam rationem contra facultatẽ pili formatricem, facilis pariter est responsio. Etenim quanquam pili in variis fiant locis, non tamen oẽs necessariò facultatem habent formatricem, sed illi duntaxat qui secundum naturæ leges oriuntur. Nã qui in abscessibus fiunt: siccatione tantum figuram hanc susciperе valẽt. In reliquis locis si dixerimus à facultate fieri formatrice: nihil contra rationem affirmabimus: quia in reliquis omnibus locis materia illa pinguis, vel seminalis esse potest, in qua pili formatricem residere diximus. Sed de his satis.

CAP.

CAPVT XLIII.

DE SIGNIS QVIBVSDAM DISTINCTIVIS.

COnuerto iam sermonem meum ad signa, partim distinctiua quædam, partim verò prognostica. Etenim neque diagnostica affectus, aut distinctiua differentiarum, Maris scilicet, Feminæ, & Filiæ, sunt hoc loco proponenda; posteaquã ex prænarrata casus historia, ac præcedenti tota disputatione, abundè omnia colligũtur. Cùm verò Plicam hanc non omninò negauerimus ex Fascinatione fieri posse; cùm præterea dixerimus copulari quandoq; luem Veneream cũ ipsa Plica: debet iure optimo vnusquisq; modũ quærere, quo caussam naturalem à supernaturali, & Plicam simplicem, à coniuncta cum morbo Gallico seiungere valeat. In hoc itaq; nunc versabor, deinde ad Prognostica me conferam.

Quod igitur ad priora pertinet, cum mihi varia scribentium de hac re volumina euoluenti, nullũ occurrat Maleficij signum, quòd si proprium videatur, superstitiosum non sit, & propterea minimè recipiendum, aut proponendum: in eam veni sententiam, magnam partem caussæ veneficæ inueniendæ, in ipsis Maleficis cognoscendis positam esse. Vbi enim veneficæ, ibi quoq; veneficiũ extimescendum. Propterea cum quispiam intelligat, reperiri mulieres, quæ Dœmonũ ope existimentur seipsas, vel alios in apparentem aut imaginariam brutorum vel aliarum rerum figuram mutare; aut per mentis excessum, quæ in conuentu

Sathanico fiunt, scire; & quandoq; ad eos corporaliter deferri ; quæ deniq; mala illa inferre consueuerint, de quibus antea diximus, aut bona, præcipuè autem morborum sanationem solis verbis, aut signis, superstitiosisq; alijs modis polliceātur: his, vrbem, vicum, domùmue aliquam frequentantibus, Plicaq; ibidem facilè quoldam, vel plures inuadente, tota mali origo tribuenda est.

Idipsum verò de alijs quoq; censendum, quæ etiamsi vsqueadeò notæ non sint, & in reliquis omni vaccent culpa; hoc saltem habeant, vt superstitiosis quibusdam modis difficiles, contumaceśq; morbos se arcere posse profiteantur, atque quòd pollicentur, perficiant. Has enim non minus ceteris vulgatissimis Maleficis, Maleficentissimas habere oportet, angue omni, ac peste deteriores, quæ idcircò profligandæ, eliminandæ, & tanquam huius mali causa, funditus eruendæ sint. Magis autem petenda est hæc dignotio à modis, quibus quispiam in hunc posset incidere affectum opera Malefici hominis. Sunt autem tres, non spernendi, ex adspectu, ex verbis, ex tactu istorum desumpti.

Et primò quòd pertinet ad adspectum, debet quisq; examinare, ac memoria repetere, nunquid principium huiusce morbi tunc statim factum sit, cum aliquē, uel aliquam sit intuitus, cuius adspectum horridum, ac terrificum, formidauerit, aut saltem post illum statim alterationem aliquam, ac molestiam senserit, inexplicabilem, cui morbus ipse successerit. Quantum enim possit prauus iste ac maleficus intuitus, ad animum immutandū, perterrefaciendumq;, non modo paruuli pueruli,

sed quandoq; adulti, & cordati viri, cui deinceps morbus quoq; corporis subsequatur: abundè docuit Plin. lib. 7. cap. 2. qui ex sententia Isigoni, integras scribit in Tribalis, & Illirijs esse familias, quales quoq; in Scythi Vitias vocatas scribit Apollonides, quæ solo intuitu veneficium inferant. Fascinantes verò inde facilè cognosci, quòd vnico oculo geminas habeant pupillas. Quòd etiam scribit Philarcus de Thibijs Ponti Acolis, vno oculo binas habentibus pupillas, altero, equi effigiem. Atq; ideò de Eripha quadam venefica scribitur, quæ quodcunq; animal esset intuita, veneno inficeret. vnde natum adagium ANVS ERIPHVS. Si ergò præsentes quoq; maleficæ easdem haberent notas, nulla in illis dignoscendis esset difficultas: cum verò has non habeant: ferox tantum adspectus, iniucundus, molestus, infensus, ac morbi ferus, illas satis superq; manifestare poterit, vtrum venenum hoc intuitu inijcere potuerint, vel ne. De verbis autem quid dicam? nonnè cuiq; apertissimum est complures in grauissima mala conferim incidere, obmurmurante aliqua ex his Maleficis, aut nimium collaudante venustatem, valetudinem, robur, gratiam vel alia id genus? Hoc docet Plinius lib. 7. cap. 2. ex Isigoni, & Memphrodori sententia, in Aphrica familias quasdam effascinantium esse, quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes. Atque ideò idemmet, Plinius lib. 28. cap. 2. tria facit verborum vim aliquam agendi habentium genera, impetrantis, depulsoris, incantationis, quibus putabat misera (hac in parte) illa ætas, omnia aduersa, mala, ac molesta verbis tantū depelli: bonaq;

impetrari posse. Ego verò sicuti veneficos verbis illis suis quandoq; maleficium inferre non nego, atq; ideò signum hoc inter postrema reponendum non censeo, quo saga mulier deprehendatur, si vt dixi, aut nimium collaudet, aut se malum aliquod inflicturam comminetur, sicuti etiam ipsi tactui multum tribuo, vt propterea cum cui morbus iste euenerit, postea quàm ab aliqua, vel aliquo, ex his suspectis Maleficis in quapiam corporis parte tactus fuerit, iure optimo de Maleficio suspicari posse censeam: non tamen credo simplicem hunc tactum, aut verba, aut adspectum absq; Dœmone aliquid efficere. Iccircò eos qui per hæc aliquid operentur, certa veneficij suspicione argui posse puto.

Sed de his alias. Nunc autem pro comperto habendum, Maleficium his tribus modis sensui conspicuis, inferri consueuisse, atque ideò eos qui in hanc passionem veneficij suspicione non vacantē, inciderint, si vt dixi ad locum, modos, & hominū, vel mulierum conditionem animum conuertant, vbi, & secundum quos, & apud quos hæc primum incœperint, non difficili negotio consequentur, fueritne, mali causa ipsi naturæ superior; an merè naturalis. Hæc tantum habui quæ proponerem pro Malefica dignoscenda causa.

Quod autem ad secundum pertinet, non rarò, sanè contingit, luem Veneream Pocutiano etiam veneno coniunctam esse, idcircò in his quoq; distinguendis versari oportet, alia enim debet esse Simplicis, alia verò Gallicæ Plicæ curatio. Respicere autem oportet quam maximè ad præterita, & præsentia: Ad præterita quidem: Nam si quis-

piam

piam integerrima fruens valetudine, in hæc incide rit symptomata vsqueadeò de repente, quasi fulmine percussus esset: hunc nulla luis Venereæ suspicione laborare certò pronunciabimus. Quòd si antea pudibundis ægrotasset, vel carie, vel bubone, vel gonorrhœa, vel alio consimili affectu detentus fuisset, subsequentibus deinde Plicæ symptomatis: hunc vtroq; affectu simul laborare suspicandum est.

Ex his verò quę præsentia sunt, magis confirmabitur suspicio, si tophi adsint, vel vlcera, siue in faucibus, siue in cute, vel pustulę, impetigines, aliaque id genus quæ in sola Plica à lue Venerea seiuncta, conspici non consueuerunt.

Præterea si superueniẽte pilorum inuolutione, symptomata articulorum, ac neruorum non desinant: hoc quoq; argumentum Morbi Gallici satis conspicuum esse poterit.

Vno verbo considerandus est status, sexus, ætas, conditio, mores, peregrinatio, atq; alia id genus; Liberi enim mares, iuuenes, diuites, intemperantes, in Italiam nostrã venientes, rarissimè vix ipsã Galliam non attingunt, etiamsi ab ea absint quàm longissimè. Iccircò & hos, & eorum filios, ac filias luis Venereæ suspectas habere oportet; cum pluri mi ab initio morbum contemnant, neque illam subire velint curandi rationem, quæ oportuna, & ad illum expugnandum esset idonea, imò verò malunt esse, quàm vulgo credi Gallico laborare, & tũc verentur se tales credi, cum curantur.

De distinctiuis, satis dixisse videor. neq; enim locus hic postulat, vt in communibus, ac vulgatissimis versemur; doceamusq; modũ cognoscendi,

hanc

hanc vel illam corporis ac partium tempetiem, variasq; humorum abundantium naturas. Hæc enim ex alijs petantur locis. Nos ad Prognostica stilum conuertimus.

CAPVT XLIV.

DE PROGNOSTICIS.

NON vereor Polonos omnes anxiè expectaturos: quid futurum sentiant Paraui ni Medici de huiusce modi morbo. Quibus, vt ego pro parte mea quàm breuissimè fieri potest satisfaciam: dico, nullam esse causſam propter quam morbus iste multum progrediatur: si quis debitam adhibuerit diligentiam. Quòd enim ad aeris constitutionem pertinet, hęc quanquam per annos multos humida iam perseuerans, affectũ istum fouere possit; mutabitur tandem, fortè etiã citò: vt in posterum magni expectandi sint squallores, sicuti hactenus maximas habuimus humiditates. Ita enim fert temporum vicissitudo. Quòd autẽ spectat ad viuendi rationem, & ad luem Veneream: quis, si voluerit, non poterit in posterum temperantius viuere, cautius cum infectis mulieribus agere, & si aliquando inficiatur, morbo statim occurrere, non autem cum alijs (vt pleriq; faciunt) congredi, summa deinde plurium pernicie? Quòd si maleficium aliquam habeat hac in re partem: quid prohibet quò minus Maleficarum consuetudinem prorsus explodant? Notas faciant Magistratibus, qui illas deide omnes ferro, & igne ad vnam vsq; perdant, & consumant. Sic vulgarem

garem morbum sensim sporadicum euasurum, tãdemque finem habiturum spero.

CAPVT XLV.

DE CVRATIONE PLICAE ET PRIMVM DE REMEDIIS AD FASCINATIONES.

DVM tandem ad curandi rationem me cõuerto, in cuius gratiam reliqua omnia dicta sunt, & quòd maximè optatum esse video; operæprecium me facturum existimaui, si de auxilijs Fascinationi conferentibus aliqua in medium proferem. Cum enim Fascinatio in huiuscemodi casu tantam videatur habere partem: vt rationes pro hac sententia adductæ vix à nobis solui potuerint: ideò congruum erit non prorsus causas istas spernere: sed aliquid ad illas ambigendas adducere.

Quia verò tota hæc tractatio in Curatricem, ac Præseruatoriam distinguitur, vtraq; verò tribus modis peragi consueuit, Superstitiosis, scilicet, Naturalibus, & Diuinis: de Superstiosa medendi ratione tamquam tota Dæmoniaca, atq; ideo Dæmoniacis relinquenda, nihil dicam: Diuinam autẽ vtpotè, quæ ad Sacerdotes Sanctosq; homines pertinet, silentio obuoluam: in Naturali præseruatoria aliquantulum versabor. Nã Curatiua vt video nihil differt ab ea quam abundè infra proposituri sumus, pro venenata hac caussa superãda, ab omni etiam Maleficio seiuncta.

Quòd igitur pertinet ad Præseruatoria remedia

contra

contra Fascinationes excogitata, & inuenta: non vereor futuros quosdam, qui horum plurima, superstitiosa prorsus, sint existimaturi, nullaq; vi naturali prædita. Quibus assentiri minimè possum, qui censeo, contra illa saltem veneficia, quæ Diabolum diximus ex vegetantium succis componere; propria quædam inueniri, quæ eorum uim obtundant, ac confringant. Cum enim nil condiderit Deus tam noxium, quòd suum non haberet depulsorem; noluit quoq; hoc ipsum depulsoriũ auxilium tam occultum esse, quòd suum non haberet inuentorem. Ideoq; vbi ad illud inueniendum defecit ingenium, suffecit Naturã, vt propter rea pleraq; bruta animantia videamus varias à natura doctas esse plantas, quibus noxia, & infensa arcere possent. Vt Hirundines, Apium ad tineas blattasq; profligandas; Ciconias, Platanum, ad fugandos Vespertiliones; Palumbes, Lauri folia; Accipitres, Hieracium; Coruos, Arum; Vpupas, Adiãtum; Cornices, Supinam Verbenacam; Turdos, Mirthum; Perdices, Arundinem; Ardeolas, Catũ; Aquilas, Gallitricum; Galeritas, Gramen; Cygnos, Viticem ad aliqua sibiipsis infensa propellenda. Quòd si probestiolis hęc facta sunt, cur quęso non concedemus, Deum qui ad irrationalium custodiam hæc condidit, rationali quoque generi in cuius gratiam omnia sunt creata, quodq; omnium maximè veneficijs expositum esse præcognouit, proprium aliquod ad hæc arcenda auxilium reliquisse?

Quòd si reliquit, cur etiam non fateamur id quòd per naturam ingenitam inueniri non potest, ingenio, studio, obseruatione, experimentis multis,

tis, tandem repertum esse? Ita sanè mihi videtur: & cum ita censeam, ea quoq; subijciam, quæ naturali quadam facultate, ea Malefica medicamenta ad se trahere posse puto, quæ in modum quinctæ essentiæ à varijs simplicibus extracta, valuis, postibus, subliminaribus, lectulis, alijsue locis apponuntur.

Hęc itaque omnia debent esse valdè odorata, calida, & sicca, tenuissimarumq; partium, vt per totum conclaue, ac domum distribui, in minimas quasq; substantiæ partes penetrare, illasq; alterare valeant. Iccircò frequentes laudo suffumigationes in ædibus factas ex Thure, Myrrha, Styrace, Benzuino, sine Beniuino, Croco, Xyloaloe, Cypero, Cinnamomo, Cariophyllis, Musco, Ambra, ac ceteris id genus. Ligna quæ in hypocaustis accenduntur, sint pariter odorata ex Iunipero, Cupresso, vel similibus.

Pilæ componantur odoratæ, quas apud se habeant primates saltem, & gestent continuo, aut fiant parui globuli, qui collo appendantur, ex ladano, musco, ambra, & reliquis iam dictis.

Pręter hæc verò neq; superstitiosa existimo alia quædam antiquitus inuenta, longoq; vsu, & traditione posteris quoq; accepta; ex quibus nonnulla manifestos habere agendi modos, alia verò occultos censeo.

Et inter illa quæ manifestis agunt modis, Scillã esse credo, in liminaribus ianuæ domus appẽsam; quàm tamen non ideò introeuntes ab omni fascino vindicare posse reor, quòd (vt fortè censuit Plin. lib. 2. cap. 68.) ipsa ingredienti, vel egredienti aliquid virium tribuat, quibus deinde possit ab

omni veneficio immunis euadere: sed quòd tantum veneficij medicamentosi substantiam, vt potè tenuem, raram, mole paucam, virtute maximam, in se trahere possit; cum calida sit, ampla, porosa, plicis, & conduplicationibus plena, extra terram quoq; progerminans, odoreq; graui donata, vt propterea non Plin. tantum, sed alij pleriq; doctissimi viri tantam huic vim inesse voluerint, vt omnes in vniuersum stirpes quibus adscita prosiliat, non modo ab omni aeris animaliumq; noxa asseruare, verum etiam lætiores, feracioresq; reddere putent. Abstinendum tamen in huius appositione ab incantatione, & emurmuratione omni, ne frustra superstitio accedat; quando ipsamet sola, propter iam dictas causas, possit virulentum vaporem ad se trahere. Idem quoq; tribuit Dioscorides Rhamno tertio; Homerus Moly, quam vsum esse Vlissem aduersus Circes veneficia volũt. Alysum omitto, Hyœnæ corium, Vpupæ auis, & Leporis cor in aluta contentum, Betonicam, Cyclamen, quæ omnia & si prima fronte superstitiosa videantur, ipsa quoq; vel occulta quadam proprietate, vel manifestis iam in Scilla propositis, iuuare possunt. Sed Cydonium silentio minimè præterundum censeo, cuius meminit Athenæus tertio, Deipnosophiston, qui scribit ex Philarco lib. 6. Historiarum, lethalium medicamẽtorum vim, odoris Cydoniorum iucunditate hebetari. Pharicumq; venenum (quòd in præsentia non disputo sit ne simplex, aut compositum vt fecit Guilandinus, Langius, atq; alij) iniectum canistro adhuc olente Cydonia mala in eo reposita, euanidum factum, maleficamque facultatem amisisse. Pari

ergò

ergò ratione poterit idem odor, illam fascini speciem superare, quæ naturalibus medicamentis Dæmonum opera concinnatis exerceri consueuit. Ad reliquas verò, quæ vel oculis, vel lingua, vel tactu fiunt, nil tutius quàm Maleficos omnes, ac Maleficas funditus tollere, & eodem tempore ad Diuina confugere, Christum confiteri, peccata detestari, Eucharistiæ Sacramento post sacram Confessionem sæpe vti, à profanorum librorum lectione abhorrere, pijsq; lectionibus incumbere, domumq, ipsam, & cubicula quotidiè aqua benedicta expiare, cunctis actionibus benedictionem, signumq; Crucis præponere, deniq; ceram benedictam in qua Agnus Dei figura sit impressa, sanctè ac deuotè apud se continere. Hæc profectò erit fuga Dæmonum, non Hypericum, aut Artemisia, non Pentadactylus, Solis ortu, Luna crescente euulsa; non Buphtalmon, aut Pæonia, aut Baaras Iosepho tantopere celebrata, quas omnes in collatione dictorum, aniles fabulas esse existimo. De Fascino satis, ad causas Naturales iam transeamus.

CAPVT XLVI.

DE CVRATIONE PLICAE SECVNDVM CAVSSAS NATVRALES.

ACcedo iam Dei Optimi Maximi auxilio ad præsidia medica, & eorundem materias, quæ dirriguntur ad Plicam considerata quatenus à caussis producitur secundum naturæ

turæ vires operantibus, quamuis humano corpori præternaturales sint. Distribuam verò partē hanc in duas, & in prima quidem erit sermo de sanandis ægris: in secunda de præseruandis sanis. Vtraque vtilis, prima verò etiam necessaria, ab hac itaque exordium sumendum. Quia verò duplex est huius morbi facies, vna ante pilorum complicationē, altera post complicationem: diuersam omninò in vtraq; ineundam esse puto curationem. Itaque dicam primum, quibus auxilijs tractandi sint ægri, doloribus sæuissimis, spasmisque siue conuulsionibus horrendissimis vexati: deinde verò rationem subiungam tractandi illos, quibus per pilorum intricationem sublata vel imminuta sunt hæc tā grauia symptomata. Quid in prima parte agendum sit, non admodum obscurum est; quo autem ordine obscurissimum. Constat materias multas, esse minuendas: acres demulcendas: calidas refrigerandas: frigidas calefaciendas: viscidas, lentas, crassas, incidendas, abstergendas, attenuandas: eas quæ impetu quodam mouentur ad hanc vel illam partem, reuellendas, ac repellendas: si fuerint impactæ, digerendas, & per eundem locum euacuādas: & si locus prohibeat quia densus, adstrictus, obstructus; rarefacientibus vtendum, laxantibus, deobstruentibus. Ratione veneni, opus est euacuantibus, & alterantibus, vel à tota substantia, vel per manifestas qualitates. Sed & symptomata cum ex illis sint quæ vires possunt deijcere, vt notauit Gal. primo ad Glauconem 14. & 15. dolor scilicet, & spasmus seu conuulsio: egent medicamentis dolorem lenientibus, conuulsiuum motum cohibentibus. In hac Indicationum multiplicitate diu,

aut

aut multum non disputabo cui primo incumbendum sit, quia video Galenum nostrum facilè nos ab hoc nodo extricasse, cum septimo Methodi xij. docet illi primo incumbendum, quod magis vrget non autem semper à caussis inchoandum, neq; ab illis affectibus, sine quorum ablatione reliqui tolli non possunt. In hoc autem casu, duo habent rationem vrgentis; caussa venefica, & symptomata. Posset ergò quispiam quærere cui primo, ac magis incumbendum? Quibus etiamsi facilè possim respondere: ex duobus vrgentibus illud antè omnia superandum, ex quo maius periculum impendit, in hoc autem casu maius periculum impẽdere ex veneno, quàm ex symptomatis: attamen ambo hæc dico, posse vno, & eodem tempore tractari, atque vnico remedio sanari. Est verò tota hæc medendi ratio in euocatione, seu attractione materię veneni in pilos ipsos reposita.

Neq; verò existimet quispiam Empiricam, irrationalem, inutilem periculosam tardamuè esse huiuscemodi operationem. nihil enim magis dogmaticum nil vtilius, tutius, magisuè præsentaneũ eligi potest. Dogmaticum dixi, quia nullus est Medicinæ scriptor, aut antiquus, aut nouus, qui non apertè doceat: venenatam substantiam quàm primum aut extra corpus ducendam, vel ad ignobiliores partes esse transferendam. At verò in humano corpore nil pilis ignobilius; sunt quidem & vngues ignobilissimæ, fiunt tamen circa illas affectus grauissimi, Paronychiam Græci vocant. Pilus autem quacunq; replentur materia, nullam corpori infert molestiam. Est quoq; Dogmatica operatio, quia si caussæ primò incumbendum, quàm

morbis,

morbis, aut symptomatis: profectò virus hoc quòd vt diximus omnium malorum est principium, & causa, quam primum debet educi. Accedit quòd cum symptomata vrgent, etiamsi docuerit Galenus illis primò incumbendum, addit tamen xij. Methodi primo, nullam esse præstantiorem viam sanandi, quàm vno, & eodem tempore, causſam, & symptoma simul amouere. Sed tentantes pilorum implicationem; causſam, morbos, & symptomata vno, & eodem tempore superamus: dogmatica igitur est curandi ratio huius materię in pilos attractio. Vtilitas ex iam dictis patet, nam si morbi & symptomata grauissima curantur, quid patiẽti vtilius? Tuto autem fieri quis nòn videt; cum materia partim insensibiliter digeratur; partim in solis pilis stabuletur, vbi præter pædorem, ac pediculationem, & furfurationem, nihil mali infert. Multò autem melius est incomptos indecoros, fœtidos, & vermiculosos habere capillos; quàm tot grauissimis ęrumnis diù noctùq; vexari. Omnium verò breuissima est hæc medendi ratio, cum quibusdam vnica, alijs autem tribus, vel quatuor ad summũ septem, vel octo noctibus, tota virulentia educatur, quàm omnia medicamenta etiam ritè per integras hebdomadas, ac menses admota nec quidem attingere valent.

Video statim dicturos quosdam, hanc se medendi rationem non improbare, dummodo totius prouidentia pręcedat. Non tamen hi vllo modo audiendi sunt, qui habent contra se rationem, auctoritatem, & experientiam. Rationem quidem; Etenim venenum in ambitu corporis diffusum, non autem penitiora viscera petens, minimè in-

tro

tro ducendum est. At medicamenta purgantia, & sectione m venæ intro ducere humores, clarius est, quàm vt probatione egeat.

Est contra auctoritatem, quia venenum in ambitu corporis existens; eandem habet curandi rationem, quàm nuper morsu inflictum: At morsu inflictum attrahentibus curari, non minus notum est: quàm, purgationes, intro humores ducere. Hinc Damocrates apud Galenum secundo de Antid. cap. 16. hęc habet.

,, *Vnusq; iccirco est omnium curæ modus.*
,, *Omnibus carnem vulneratam protinus*
,, *Scalpello circuncide, vel igne amputa,*
,, *Ventosam postha, ni locus vetet, infer,*
,, *Acutisq; & uentibus medicinis*
,, *Vulnus seruabis latum multo tempore.*

In cuius sententiæ confirmationem Gal. à quo deinde reliqui omnes medici Græci, Arabes, & Latini acceperunt, quinto simpl. 18. & 19. & lib. de const. artis cap. 19 atq; alibi, cum docuisset venenum & alterantibus, & euacuantibus sanari: dū ad euacuantia se conuertit, alia non proponit, præter ea quæ in cutem deducant. Sed ne quispiam dicat frustra hæc à nobis adduci, cū de venenis morsū inflictis intelligantur, non de intro genitis, quale est hoc Pocutianum: Primum quidem dico falsam esse hanc eorum sententiam, vt nos abundè in secundo nostro de Phœnigmis libro aliàs ostendimus: Deinde verò addo experientiam rerum omnium magistram, quæ in præsenti hoc casu nos melius docere potest, quàm rationes, & auctoritates (Quanquam habeat quoque pro se argumenta fortissima, & optimorum scriptorum testimonia

si

si rectè intelligantur. Quòd igitur ad experientiam pertinet, vellem eos qui aliter sentiunt, posse omnes illos audire: qui purgationibus, & sectionibus venarum, ante capillorum inuolutionem tractati, in contractiones membrorum, cæcitatesque insanabiles, vel alia id genus mala inciderunt.

Hoc quidem scio, Illustrissimum illum D. D. IOACHIMVM DE OCIESNO mihi retulisse, dum ex Pocutio in Patriam hoc morbo grauiter conflictatus rediret, se in illo itinere multos inuenisse, alios cæcos, quosdam claudos, alios aliter tentatos; qui se in hæc statim incœptis purgationibus incidisse affirmabant.

Habeo prętetea Epistolam Illustrissimæ Matronæ Polonæ, Polonicè scriptam, sed D. Vrsini nostri opera latinitate donatam, quæ hoc morbo vexata, scribit se vena in cubito secta, confestim sæuissimos in eo brachio dolores cum tumore œdematoso passam esse: Pari ratione in pedibus vena aperta, dolores acerbissimos in vtroq; crure ad malleolos excitatos fuisse.

Quo argumento apertissimè demonstratur, eo confluere virulentiam, quo tendit humor euacuatus. Atq; ideò sicuti ex secta vena ducitur in mẽbrum vbi facta est sectio: ita ex epoto medicamento, ducetur in venas, in iecur in ventriculum, quod erit multò deterius. Neq; quis dicat ex medicamento illam potiùs euacuatam iri. Etenim difficillimum est, materiam pinguẽ, crassiusculam, in venas attractam, ac sanguine commixtam, non potius aut parietibus vasorum hærere, aut crassiori sanguinis parti commisceri, quàm educi. Multò

enim

enim faciliùs proxima, & tenuia educuntur, quàm remota, & crassiuscula. Et dato, aliquid illius educi posse, non tamen totum purgabitur: quod autẽ relinquetur, eo erit grauius, quò vires erunt imbecilliores, & quò magis agitata materia, sanguini commixta, visceribusq; impacta, in plures, ac principaliores partes, vim suam exercere poterit.

Neq; iterum suadeat quispiam vsum purgantium, quòd speret posse quidem eũacuari humores qui in venis sunt, non tamen intra venas trahi materiam istam: eo ductus argumento, quòd sit pinguis, ac crassiuscula, iccircò ad ingressum venarum minimè facilis. Nulla profectò est ratio. nam multò crassiores materias in cute iam existẽtes aliquando retrocessisse legimus, ac quotidiè obseruamus. Retrocedit quandoq; materia in aliquo abscessu contenta, de qua dicebat Hippo. 2. Progn. 68. quòd delirium, ac mortis periculum minetur. Retrocedit aliquando scabiei, impetiginis, alteriusue consimilis affectionis crassus, salsus, ac melancholicus humor, qui deindè in venas receptus, febres intulit malignas, atq; exitiales, vt multiplici constat obseruatione. Sed ne longiùs abeam, Epistola huius Illustrissimæ Matronæ mihi communicata, apertissimè docet, quàm facilis etiam absq; medicamenti assumptione, sit huius materiæ ab vno in alium locum, à venis inquam ad extra venas, vel ab extra venis ad intro permutatio.

Scribit enim post vsum medicamentorum, venas in occipite vsqueadeò plenas extitisse, vt non modo obstructionem, doloremq; sentiret; sed ferè à seipsa alienaretur. Subdit deindè superuenientibus circa partes omnes externas doloribus, ac po

tissimum ad tendines poplitum, multam eo tempore venarum fuisse duritiem, aut crassitiem. Quid ergò clariùs ? Si post medicamenta venæ intumescunt, & dolor fit quem Illustrissima hæc Matrona fatetur se exprimere non posse, idque tantum scribit, dolore superueniente omnes ferè corporis partes cum maximo tædio & summa cum obstructione exagitari, ideſt (vt nos interpretamur) dolore grauatiuo, atq; extensiuo tentari, qualē imple tis vasis conuenire ex secūdo de loc.aff.cap.7.colligimus : si præterea quasi mentis alienatio succedit ; quid aliud colligere possumus, quàm intro tunc duci materiam. Extra autem ferri, cum exinanitis quodammodo venis, dolores acutissimi, conuulsiui, membranarum, ac neruorum proprij promouentur. Permutatur ergò facilè hæc materia ab intro ad foras, & vicissim à foras, ad intro; iccircò tanquam venefica, non antea erit purgantibus, vel alijs intro ducentibus tractanda, quàm in pilos ipsos fuerit deducta.

Hanc itaq; medendi rationem vsqueadeò rationi, probatissimorumque scriptorum auctoritati, & experimento consentaneam, à me omnium primò in consultatione cum alijs septem Excell: viris habita, excogitatam, ac propositam, nunc quoq; eò libentius, atque hilarius Nobilissimis Polonis publicis datam monumentis trado, ac persuadeo, quo video illam quoq; ab Excell: Io. Thoma Minadoo, in propria consultatione ante nostrum hūc librum impressa, & peruulgata, ijsdem Polonis, amplissimis, ac plenis verbis communicatam, ac persuasam esse. Etenim si in nostram venit sententiā doctissimus sanè, ac celeberrimus nostræ Scholæ

Pro-

Professor: poterunt in eandem, & patientes, & ceteri omnes Medici libenter venire. Age igitur modum proponamus, quo breui, & facilè virulentiam in pilos deducamus. Quæ igitur educunt, multipliciter id facere possunt, aut cutem laxando, aut rarefaciendo, aut obstructiones si quæ sunt aperiẽdo, aut profundam materiam attrahendo. Vt audio materia ista non admodum difficili negotio, in pilos erumpit, intermissa videlicet lotione & pectinatione, aut lotione facta vel ex decocto fabarum, aut sphondylij, aut seminis cannabini. Itaq; pro illa euocanda intermittatur lotio, pectinatio, fiantq; omnia remedia mollientia, rarefacientia, porros, ac meatus purgantia. Non enim vt puto pro hoc consequendo scopo, opus erit attractorijs. Erunt hæc necessaria pro eruenda funditus omni virulentia, vt neq; in corpore, neq; in pilis amplius lateat, laboremq; & pędorem omnẽ corrigat; de quibus infra dicemus. Nunc autem de prioribus tanquam ad hanc rem perficiendam aptissimis erit sermo. Tria diximus esse præcipua horum genera, quædam enim mollientia sunt & laxantia, possuntq; illis administrari, qui cutim habeant prędoram, ac crassam, sunt verò oleum dulce aut commune ex oliuis, aut amygdalinum: Pinguedines anatis, anseris, vel gallinæ: Mucilagines variæ: Linimenta ex his confecta, quibus tepefactis, loci omnes in quibus pili longiores, & implicationi subiecti, oriuntur, molliter illiniri, ac leniter confricari debent, mane & vespere, hora vna, vel altera ante cibum. Idipsum verò faciendum rarefacientibus, siue oleis, vt est Chamæmelinum, Anethinum: siue decoctis ex quibus parentur lo-

tiones. Fiant autem decocta ex eodem Chamæmelo & Anetho, additis Melilloto, Malua, Althæa, Cucumere syluestri, Bryonia, ceteriſq; id genus pluribus, quorum vnũquodq; non modo reliquis commixtum, ſed etiam per ſe in hunc vſum accipi poteſt, vt vbi ad manus non ſit vna medicamenti materia, alia ſtatim in illius locum ſubijciatur. Quòd ſi hæc ſatis eſſe non videantur, ad Ecphracticа, & Eccathartica confugiendum, quorum hæc quidem porros expurgant, illa obſtructione & infarctu liberant. Cuiuſmodi ſunt quamplurima. Sed eorum aliqua proponere non grauabor: ne putent Poloni in ſolo Sphondylio aut fabis, aut cannabi, uim eſſe reuocandi virus in capillos. Id ipſum enim præſtare poſſunt, imò verò fortius Lupini, Elleborus niger, nitrum Aphronitrũ, Amygdalę amarę, Scilla, Iris, Abrotonum, aliaq; id genus plurima ſapore amara, atq; ideò detergentia, & meatus expurgantia, de quibus Gal. v. ſimpl. 12. Ex his ergò vel ſimul mixtis, vel ſeparatim acceptis lotiones, fomenta, frictioneſq; fieri poſſunt, quibus, ſuperata omni meatuum obſtructione, virulentia illa in vaporoſa ſubſtantia contenta quam primum educatur. Quòd non difficili negotio futurum ſpero. Et quamprimum vel ſpontè ſua, vel medicamentorum auxilio virulentia hæc pilos obſederit, tunc, ſecundum ſuccedit huius curationis caput, in quo ea veniunt proponenda, & vſurpanda, quæ virulentiam omnem ſiue in pilis contentam, ſiue in corpore adhuc relictam ſuperare valeant, ita vt abſq; recidiuæ periculo, capilli implicati pręſcindi poſſint, ſi ſpontè ſua non deciderint. Hanc igitur partem aggrediamur.

CAP.

CAPVT XLVII.

DE CVRATIONE PLICAE POST CAPILLORVM IMPLICATIONEM ET PRIMO DE AVXILIIS CHIRVRGICIS.

NON est profectò vsq; adeò manifestum, facta iam pilorum implicatione cuinam primò ex propositis indicationibus satisfaciendum: an scilicet veneno, vel potius humoribus in corpore peccantibus. Venenum enim facta etiam implicatione adhuc in corpore subesse: præter alia multa, illud satis ostendit, quòd si vel tota Plica, vel illius pars præscindatur, morbus grauior quàm antea recrudescat. Si ergò subsistit venenum & sumpta indicatione ab vrgenti, hoc semper magis vrgeat; ratio videtur suadere, huic etiam primo incumbendum. Ego tamen multas ob causas aliter sentio. Primum quidem si tunc quoq; in eodem persistamus scopo educendi scilicet venenum per pilos ipsos, nunquam minuetur plenitudo, neq; purgabitur cacochymia. Etenim vel res ex voto succederet, vel non. Si succedat, & integrè venenū omne per pilos educatur, quid est opus purgatione? Si non succedat, ergò tandem, & post multam temporis iacturam, id faciendum, quòd nos statim apparente implicatione faciendum consulimus. Quòd si quis dicat posse solis attrahentibus in pilos totam curationem perfici, posteaquam diximus nos venenum istud cura-

ri vt cetera morsu inflicta, hæc verò solis attrahentibus tractantur, vt apud Damocratem, &c. videre est. Verum res non sic se habet. Quandoquidem etiamsi venenum istud in hoc conueniat cum morsibus venenatis, quòd profundum non sit: in hoc tamen distat, quòd cum intro generetur, habet pro sui fundamento, ac perpetuò fomite plenitudinem, & cacochymiam, quibus perseuerantibus, vix, ac nec vix quidem fieri potest, vt tota hæc per pilos virulentia extrahatur. Et eò minus educi potest, quo, pro aliqua sui parte in venis continetur, vel ibi genita, vel ab extra, ad intro transposita. Necessaria ergò est hoc tempore totius corporis prouidentia. Atq; ideò etiam in venenatis morsibus, vbi morsus fuerit corpulentus, consulit Paulus sectionem venæ. Neq; verò retrocessus periculum imminet: primò quia virulentia ista iam extra cutem constituta, ab externo aere densior, ac crassior fit. secundo, quia pilis ipsis arctè admodũ inuiscatur. tertio, quia in pediculos aliqua ex parte conuersa est. quarto, quia externa remedia admoueri possunt, quæ illam ibi conseruent. denique, quia ita debet institui hic medendi modus, vt virulentiam reuocare minimè possit. Versatur aũt rectus hic medendi modus, in loco, quantitate, tempore, & modo mittendi sanguinis, atq; administrandis aliis omnibus excretionibus prout decet. De quibus omnibus singillatim dicemus, sumto à venæ sectione exordio. Conuenit profectò in presenti affectione Venæ sectio, si ætas, uiresque permittant, posteaquam ex prædictis patet, hũc affectum non esse sine plenitudine, atq; ea quidem aliquando insigni, etiamsi subsit etiam cacochymia.

mia. De loco mittendi sanguinis ita sentio, secandas potius esse venas inferiores, quam superiores. Multiplex quidem me mouet ad id persuadēdum ratio. Primum quidem quòd intelligam magna ex parte mulieribus hoc malum fieri, quibus consuetæ sanguinis excretiones sint suppressæ. Secundo, quòd longè admodum faciēda sit venæ sectio ab ea parte, in qua virulentia residet, residet autē magna ex parte in capillis, ac subiecta illis cute. Itaq; cubiti venę secandæ non sunt, quæ vt capiti proximæ non tantum ab eo reuellere, sed & simul aliquid intro ducere valent. Neq; quis dicat Cæphalicam tantum venam id præstare posse; Cū enim quæ in brachio sunt, sint sibi admodum propinquæ, & ex eodem trunco emergentes: nulla est ratio quamobrem illa vna, non autem omnes à capite educant. Atq; ideò tametsi Gal. 3. de Anat. administ. cap. 6. aliquam videatur facere distinctionem venarum brachij, vt aliæ prosint magis partibus supra clauiculas, quædam verò magis infra: attamen tandem omnes istas, vtrunq; locum iuuare posse docet. Multò autem diuersa est infernarum venarum ratio: quę cum longè à capite distent, neq; ex communi quodam trunco oriantur, etiamsi aperiantur, non facilè possunt aliquid à cute capitis, & circumferentia, ad centrum ducere. Accedit quòd in veneno extra venas existenti, semper consultum est eas euitare venas, quæ magis amplæ sint, cordiq; proximæ; Nam vt aliquando docuit Galenus 4. de Tuenda valetudine cap. x. fieri in plenitudine maxima, ac lassitudine Phlegmone, vt his apertis materia ab extra, ad intro trahatur: ita & in hoc veneno idipsum contingere

posset.

posset. Iccircò satius est inferiores eligere venas, ad quas attrahere, longè melius est pro patientibus tanquam in locum à corde, & præcipuis partibus distantem, quàm ad proximiores. Vno verbo cum sectio venarum infernarum possit menses & hæmorrhoides suppressas mouere, plenitudinem minuere, venenum transmissum non reuocare, relictam in corpore virulentiam à partibus præcipuis longè deducere; libentiùs est accipienda quàm venarum supernarum. Nè verò error vllus hac in parte committatur: consulo, ne multum sanguinis semel mittatur, sed potius missio ipsa pro plenitudinis ratione, in duas, tres, quatuorq; vices diuidatur, vt scilicet admodum plethoricis vno die bis eadem vena secetur: vel quòd etiam fieri potest, ex eodem foramine educatur, summo mane ad sex vel septem vncias, vespere, ad quatuor vel quinq;: post biduum verò, alteriùs pedis vena aperiatur, & sanguis eodem modo, ac quantitate mittatur, isq; non ex amplo, sed potiùs ex moderato foramine, neq; confertim, sed sensim. Quod si vires id non ferant, neq; plenitudo requirat: bis tantum pareeq; mittatur sanguis, vno vel altero die interposito. Quando autem neq; huic missioni vires sint satis: scarificentur crura. Quantum vero possit in venenatis morbis crurum scarificatio: docuit Apollonius apud Oribasium, confirmatque, ratio ipsa. Attrahit enim venenum, & ad infernas, & ad cutaneas partes, quod maximè nobis optatum est. Scarificationis autem nomine, non tantum veram & legitimam illam antiquorum scarificationem intelligi volo, cuius meminit Anthillus apud Oribasium, & quàm penè exstinctam in lu-

cem

cẽ reuocauit doctissimus Prosper Alpinus rei Herbariæ in hoc Patauino Gymnasio Professor meritissimus, in libro quem de Medicina Aegyptiorũ conscripsit; verum etiam scarificatas cucurbitulas subintelligi volo, quæ & pinguioribus, & infirmioribus, & pueris multò magis conueniunt, quàm vene sectio. De Hirudinibus autem pauca dicam, qui scio Polonos his admodum non delectari, atq; ideò satius esse duco, suppressum hunc sanguinem vel alijs iam propositis euacuare, vel frictione facta felle taurino, Cępis, Folio ficus, Boraginis, radice Cyclaminis vel alio consimili quàm hirudinibus prouocare. De cauterijs quid sentiendum, dicam paulò infrà, sicuti & de reliquis omnibus auxilijs Chirurgicis quæ in hunc vsum venire possunt. Itaque ad Pharmaciam transeamus.

CAPVT III.

DE PHARMACIA, ET PRIMO DE VOMITORIIS

CAcochyma esse Polonorum corpora, præter insignem plenitudinem, ostendit quotidiana experientia, nosq; ipsi abundè docuimus. Hanc itaq; corrigere oportet. emendabitur verò euacuantibus, & alterantibus. Et quando euacuantia multa sunt, de vomitorijs primò agendum. Sunt vomitoria in duplici differentia, quædam enim ipsum tantum ventriculum expurgant; nonnulla à toto corporis ambitu trahũt, quorum quædam valida quidem sunt, sed innoxia, vt Semen Erucæ, Rapi, Anethi, Nasturtij, Asplicis Asari radix, Genistæ flores: quædam sunt omninò

venenata vt albus elleborus, antimonium, lathyris, ricinus, atq; alia id genus. De euacuantibus ventriculum tantum, nulla est dubitatio, humores enim per eundē locum sunt euacuandi, in quo cōtinentur. Itaq; si in cauitate ventriculi reperiantur, vel deiectione, vel vomitu educendi sunt, prout vel ipsa humorum natura, & motus, vel patientis temperatura, conformatio, statusq; corporis, & tempus anni docuerint. Bilem enim & humores os supernum petētes, per superiora educemus; præcipuè æstate (Caniculæ tempore excepto) in corpore gracili, facilè vomente, & nequaquam tabido: contrario autem modo se habentes, per inferiora purgabimus. Atq; in his quidem satis erit ad vomitionem vti laxantibus quibusdam, vt amygdalino oleo, & si quid crassi humoris fuerit, ad incidendum oxymelite, vel quòd mihi magis placet, ab assumpto cibo, & potu præcipuè copioso, nec semel tātum sed bis in mense, vt nobis memoriæ prodidit Diuinus Hippocrates in libro illo de Salubri Diæta; cuius sententiam scio quidem non vno & eodem modo ab omnibus fuisse acceptam, dum ipse Hippocrates duobus diebus continuis id fieri debere docet, Galenus autem in cōmento scribit, nihil causę esse quin per interualla ista faciamus. Sed de hac re nolo esse admodum sollicitus, qui video vtrunq; tutò fieri posse. Atq; hæc quidem carent omni dubio. Maior aūt est difficultas de vomitorijs à toto corpore educē tibus; quæ dubitatio militat quoq; in medicamentis purgantibus uenenata qualitate præditis, num quid in hoc casu accipi debeant vel nè. Non desunt profectò temerarij homines, qui indiscrimi-

natim

matim non in venenatis tantum morbis, sed & in salutaribus, maximo patientum periculo, & artis nostræ ignominia hæc experiantur, qui si vnum vel alterum succosum, ac robustum hominem, densis ac solidis ventriculi membranis donatum, casu potiùs quàm ratione sanant, centum miserrimè perdunt; eneruatis viribus omnibus, dissolutoq; totius ventriculi robore, ac tono, membranis eiusdem à venefica qualitate lacessitis, à nimia humorum copia extensis, ac subtilissimis redditis, consumptoque humido primigenio, ac calore innato. In hæc profectò incidunt qui Empiricis quibusdã curandos se tradunt, persuaderiq;, & cæteris persuadere volunt, laboriosas illas vomitiones, & vẽtris deiectiones per album veratrum, Antimoniũ, Præcipitatum, aliaq, id genus vsq; ad sanguinem, ad syncopen, & aliquando ad mortem factas, salutares, & admittendas esse. Contra quos ego in præsentia ex professo disputationem non suscipio, sed illud tantum quod ad rem nostram pertinet constãter affirmare audeo, in veneno hoc Sarmatico, nusquam, & nunquam fortiora hæc medicamenta vel vomitoria, vel deiectoria esse eligenda; nè vires, quæ tandem præcipuam habent expugnandorum malorum partem, collabantur: nè virulentia quæ in partes extimas, & ignobiles residet, ad nobiles & internas deducatur: ne denique tanta humorum copia, & impuritas, per os ventriculi valdè sensibile expurgetur, quę in transitu syncopen inferre possit. Non ignoro in aere pestilenti, in venenis nuper assumptis, aliquando, hæc profuisse, sed longè alia est ratio; quandoquidem in Peste aut veneno nuper accepto, non ægrè admodum venefica mate-

ria eijci vomitu poteſt, quæ adhuc altius ſe non in ſinuauerit, neq; à prauis corporis ſuccis incremen tum habuerit. At venenum quòd iam in varias partes diſtributum ſit, quodq; eaſdem partes intẽ peratas reddiderit, & ab illis, atq; materia multa, ac vitioſa generationem, incrementumq; ſuſcipit, à circunferentia ad centrum euocare, non minus pernicioſum eſſet, quàm venenum morſu inflictũ, ad interiora propellere. Valeant igitur qui in ſimi li caſu, vomitorijs, ac purgatorijs validis vtuntur. Qui ſanè non putent habere pro ſe Gal. 3. in 6. epid. 30. dicentem, ſe in cutaneis affectibus purgatio nes, non prohibere; Etenim loquitur ibi Gale. de materia iam cuti impacta, qualis erat illa, latas fa ciens Simoni puſtulas, à qua longè diſtat venenũ iſtud. Præterea neq; nos quædam vetamus, ſed hæc tantum deleteria, longè periculoſiora veneno illo, quòd curandum proponimus.

CAPVT II.

QVA RATIONE DOGMATICA PVRGATIO INSTITVENDA SIT.

IN maxima humorum abundantia, cum fortio ribus vti non licèt: vel ad mitiora confugien dum, vel ad fortia quidem, ſed vſq; adeò cor recta, & in moderata quantitate exhibita, vt inſi gnem non poſſint efficere perturbationem. Atq; ideò pro varietate humorum peccantium, ſic tan dem totam hanc curationem inſtituerem; vt ſi pi tuita potiſſimum abundet, primò leniatur aluus

hoc

hoc medicamento. R. Mellis roſ. ſol. vnc. iij. Man næ electæ vnc. ij. decoct. Betonicæ, Pulegij, Origa ni, cum drac. ij. ſenæ. q. ſ. m. f. p. Capiatur horis qua tuor ante cibū. Sic deinde præparentur humores. R. Oxymel. ſimpl. Syrupi de Betonica, Mellis roſ. ſimpl. an. vnc. j. m. Accipiatur ſine diluto per tres dies continuos, deinde exhibeatur hæc Purgatio. R. Agarici trochiſcati drac. j. Infūdatur in decocto ſupraſcripto ſ. a. & facta expreſſione adde, Mellis roſ. ſol. mannæ electę an. vnc. ij. m. & f. p. Accipiatur quinq; horis ante cibum. Libenter verò Agaricum admitto, cum & ex Auicennæ ceterorumq; ſententia Alexipharmacum contra venena putetur, & in Polonia plurimæ ſint, atq; maximę ſiluæ larignæ, in quibus Agaricum quàm optimū colligitur. Præparentur ſecundo humores ſic R. Oximellis ſcillitici, compoſiti, an. vnc. ſ. Syrupi de Betonica vnc. j. decoct. Betonicę, Fumariæ, Stæchados, Boraginis, Pulegij, Origani, Tragorigani, Mentæ. vnc. iij. m. pro ſyrupo. Cur verò in pituita tractanda, ſenam, lenienti addiderimus, Syrupis verò fumariam, & boraginem; inferiùs explicabimus. Exhibeantur per dies quinque. Deinde verò eadem purgatio repetatur. quòd ſi quis potionem abhorreat, Bolos aſſumat aut Catapotia. Boli ſint iſti. R. Electuarii lenitiui vnc. j. Diaphænici drac. iij. m & cum zuccaro f. b. Pillulæ ſint iſtæ. R. Pillularum Aggregatiuarum drac. 1. Maſtichinarum drac. ſ. cum aqua betonicæ reformentur pillulæ quinq; deaurentur. capiantur ſex horis ante cibum. His peractis, præſentem Medicum oportet eſſe acuratum in explorando viſcerum ſtatu, vt ſi quàm inueniat in iecore, liene, meſenterio,

aut

aut vtero obstructionem, illam statim amoueat. Non tamen mihi videtur locus hic postulare, vt lõgior sim in proponendis medicamentorum materijs, quæ ad singulas obstructiones superandas faciunt. Illud enim docerem, quòd scio Medicos Polonos minimè ignorare. Vtantur itaq; ad has superandas varijs illis Trochiscis, ac Syrupis, pro varijs corporis partibus institutis; deindè & Fomentis, Linimentis, Oleis, Emplastris, Suffumigijs, Pessarijs, omnibus denique auxilijs, quibus plena sunt Medicorum volumina. Ego enim in his diù persistam, quæ præsentis mali magis propria sunt. Atq; ideò paucis me expediens ab iis quæ vniuersales respiciunt purgationes; si Melancholica corpora nobis tractanda offerantur, lenienda aluus Syrupo de Polipodio. Prẹparandi humores syrupo de succo boraginis, de fumaria, de pomis simplici, & eodem repetito Syrupo de polypodio, consultum erit per quinq; dies, compositos præbere Syrupos, de Pomis & de Fumoterræ hunc in modum. R. Syr. de Pomis compositi, de Fumoterræ comp. an. vnc. j. decoct. Epith. Mesue. vnc. iij. m. pro Syrupo. quibus absolutis repetatur Purgatio hunc in modum. R. corticum Ellebori nigri scr. ij, f. infusio s. a. in decocto cordiali & facta expressione adde. syr. de Polipodio vnc. iiij. m. & f. p.

Hanc purgandi rationem, etsi pro melancholico humore propositam, omnium frequentissimè accipiendam esse consulo. Etenim effectiuam respicit caussam, cunctis communem, calorem scilicet exurentem; siue in solidis partibus existentẽ, siue in bilioso, vel atrabilari succo residentem. Illas enim refrigerat, hos educit. Præterea verò &

cùm

cum his fumosa, ac fuliginosa excrementa expugnare valet. Neq; verò hæc de viris tantum intelligi volo, sed & de mulieribus; quæ etsi temperamentum totius, pituitosum nactæ videantur; attamen ob vina generosa, vel cereuisiam fortem, & propter aromata, calorifici vaporis, & exusti, vires tam validas experiuntur, vt scribat Illustrissima illa Matrona, se ab vsu decocti ex Ligno, & China, quosdam sub capitis cute calores tam validos sensisse, quasi feruidissimum quid sub cute inspergeretur: atq; ex emplastris adhibitis tantam superuenisse caliditatem, vt non modo caput occuparet, sed cordi, & brachijs communicaretur, tàm graui dolore, vt quasi sub illo interierit. Itaq; purgatio sic erit instituenda, vt semper exustionem respiciat, subinde verò alios quoq; peccantes humores, quòd superiùs in tractando humore pituitoso nos ipsi fecimus. Fortè dicet quispiam, hæc multò leuiora fore, quàm vt possint robustissima, ac valdè cacochymia Polonorum corpora emundare. Quibus dico, multitudinem, posse multis repetitis euacuationibus tandem superari. Addo præterea, placidiora medicamenta ut plurimum melius purgare, quàm fortiora. Quòd cum in ipsis Polonorũ corporibus non semel obseruauerim, in suam referre caussam operæ precium esse duxi. Fortia igitur medicamenta ideò inuenio copiosam facere euacuationem, quòd scilicet, propter insigne irritamentum, morsumque, & calorem quem ventriculo inferunt, fortè etiam propter uim quandam attractoriam, multos, acresq; humores à remotissimis partibus in eundem uentriculum, atq; intestina deducant; qui deindè suo pondere, & mor-

su

su, expultricem, ad excretionem stimulent. Quod si fortè fortuna attractio à longinquis partibus nõ succedat, vel quòd humores sint crassi, vel impacti, vel quòd viæ sint impeditæ, ob iecoris scilicet obstructionem, tantum abest vt tunc copiosa succedat euacuatio, vt potiùs nulla fiat. Ratio autẽ est, quia ex calore, & mordicatione facta à medicamẽto, proximi humores ad ipsum ventriculum confluunt, & quia multi non sunt, copia, irritare non valent, itaq; plus potest calor medicamenti ad illos retinendos, quàm facultas expultrix ad eosdẽ educendos; & eo potissimùm, quòd innatus calor à deleterio medicamento dissoluitur. Quòd si benignius fuerit medicamẽtum, neq; calore, neq; morsu uentriculo infensum, neq; à longinquis trahens, materiam quàm mouet, expultrici obsequẽtem relinquet, & sic euacuatio felicius succedet; innato ventriculi calore, quòd omnium naturaliũ facultatum præcipuum est instrumentum, ualido, & uegete persistente. Benigniora ergo medicamenta propter has omnes causas eligantur, & ut dixi, si ita corporis cacochymia requirat, non tantum bis, sed ter, quater, ac pluries repetantur, ut mox declarabo, cum iam paucis exposuero rationem purgandi succum quoq; biliosum. Hunc itaque primo educemus Syr. ros. sol. unc. iij. de polipodio unc. ij. cum decoctione cordiali. Præparabimus autem Syrupo uiolato simplici, de fumaria, de cichorea, de endiuia, cum decoctis similibus. In maximo sanguinis feruore, & abundantia, atq; ex consequenti quadam ebullitione (quàm maximè uerendam censeo omnibus quidem, sed in illis maximè qui calidioris sint temperamenti. hanc enim

enim necessariò sequitur partis illius oleosæ ac pinguis transmissio copiosa extra venas, & deinde venenum de quo iam diximus) consulo vt fortiores præbeantur Syrupi, vel de Granatis, vel de Ribes, vel de Berberis, vel de Succo rosarũ, de Agresta, de Nymphæa, vel de Succo limonũ, vel Arantiorum acidorum, de Papauere, aut de Portulaca. Loco decocti accipiant destillatas aquas, plantaginis, portulacę, & similium, proportione Syrupis respondentium: seruentq; regulas antea dictas, vt quarto, aut quincto quoq; die, euacuationes repetantur, vel per idem leniens, vel ad summũ addita semidrachma hellebori nigri, aut drac. j. Rhabarbari in potione: aut si bolum voluerint, R. flor. Cassię nou. extr. vnc. j. Elect. ros. M. drac. ij confectionis Hamech drac. j. m. & cum zuc. f. b. Sed quia vsus Syruporum in Italia vsq; adeò frequens, apud Polonos multos non facilè admittitur: iccircò alia debet institui illis purgandi ratio; qui minus libenter huic iam propositę subscribãt. Hos igitur si pituitosi essent sic expurgandos curarem. Alternis diebus drac. ij. præberem Hieræ simplicis, aut drac. j. pillularum Mastichinarum, aut si aluus durior esset, acciperẽ drac. s. Aggregatiuarum, & totidem Mastichinarum: sequenti autem die exhiberem Rotulas duas, vnam summo mane, alteram vespere hora vna ante cibum; aut ex Diatrion pipereon, aut ex Diazinzibere, vel ex Aromatico rosato vel Caryophyllato, vel ex Diacalamentho, aut Diaspolitico: prout Medicus præsens iudicabit, hanc partem & affectionem, vel illam magis respiciendam esse. Si Rotulæ minus placerent: Extractis vterer, aut Conseruis, siue

Electuarijs, proportione respondentibus. Illud tamen moneo, in summa etiam pituitæ copia, in temperamento etiam apprimè frigido, atq; humido, Plica tamen laboranti, nunquam prorsus relinquendas esse auxiliorum materias, quæ causſam effectiuam, calorificam scilicet respiciant. Iccircò vel post prædictas Rotulas, decoctum in iure factum esse superbibendum, in quo bullierit cicoreum, borrago, fumaria, lupulus, endiuia, sonchus: Aut conseruam accipiant simul cum Rotula, ex rosis, violis, vel nymphœæ. Aut deniq; succo vtantur condensato ex cichorio, vel soncho, vel alia re consimili. In tractando melancholico, & bilioso succo, idem seruabitur modus pro illis qui Syrupos fugiant. Nam pro educenda melancholia, vel alternis diebus accipiant scrup. ij. Pillularum de Fumoterræ, vel vnc.j. ellectuarij Lenitiui, vel ius pullæ, aut columbi, cum drac.ij. Senæ. drac.j. Epithimi, & altera Polypodij: Aut hoc meo electuario, quo ad humorem melancholicum paulatim, & sine molestia educendū, familiariter vtor. R. Corticum Ellebori nigri vnc.j. Epithimi, Polypodij an. vnc.iij. fol. Senæ vnc. iiij. Mirobalanorū Indorum vnc. s. passularum enucleatarum lib.j. florum Borraginis, Buglossæ, an. pug. j. Fumariæ, lupulorum, violarum, an. m. j. fiat decoctio s. a. deinde facta expressione. R. prunorum dulcium lib.ij. bulliant leui ebullitione in prędicto decocto, extrahantur nuclei, pulpaq; per setaceum transmissa, iterum bulliat in prædicto decocto vsq; ad moderatam consistentiam, addendo floris Cassiæ nou. extr. vnc.vi. In fine autem decoctionis, mannæ electæ vnc.iij. zuccharī fini q.s. m. & fiant ellect.

Dosis

Dosis erit vnc. s. vel drac. vi. pro corporum varietate. Sequenti die ab vsu Electuarij, accipiant conseruam ex floribus violarum, mixtam cum cõserua florum Borraginis, aut Buglossæ, & sic vicissim modo hoc, modo illo vtantur medicamento. De bile idem esto iudicium. Præbeantur biliosis alternis diebus pillulæ de tribus cum Rhabarbaro, aut Cassiæ drac. vi. vel Diaprunis simplicis vnc. j. s. vel duæ. Quanquam mihi certo persuadeo, biliosis quoque, propositum iam Electuarium summopere conferre posse. In die interualli, accipiant biliosi, Zuccharũ rosatum, violatum, conseruam Nenupharis, superbibant aquam Cicoreæ, Endiuiæ, Sonchi, Hepaticę, vel aliam similẽ stillatitiam. Si adsit copia ferí Caprini: eo quoq; vtantur non tamen oxymellite, sed succo limonum, aut agresta præparato. Sitibundi, multum ex eo bibant, libras tres, ac quatuor: ceteri vnc. x. vel libram vnã. In eundem vsum venire possunt succi vel clarificati, vel densati, ex cichorio, &c. frigidis: & quando aquę suppeterent medicatę, vel æneæ, vel ferreæ, vno verbo frigidæ potestate, actu tamen calidæ epotæ, minimè improbarentur, in maxima quantitate acceptæ, ad libras scilicet x. xij. & plures, vt sanguinem in venis contemperare, & excrementa per lotium, ac sudorem euocare possent. Sed de his plura dicemus infra. Nunc autem vt tandem partem hanc absoluam, quæ in purgandis humoribus, alterandisq; primarum qualitatũ excessibus versatur: illud vnicum dicam, quòd cum tantopere necessaria sit hæc pars pro integrè expugnando huiusmodi morbo, varia autem proponantur hominum ingenia, sexus, ætates, status, naturæ, con-

ſuetudines, proprietates, atq; alia huiuſmodi: prudentem debere Medicum cunctis opitulari; & cũ Mulieres, Pueri agreſteſq; homines purgandi occurrant, qui hoc vel illud fugiant, atq; auerſentur: huic quidẽ ſicuti proximè dixi ſuccurrat vno modo: alij alio. Huic per potiones, bolos, pillulas, rotulas, extracta, conſeruas, electuaria: alijs autem per pulueres, olea, & aquas deſtillatas. vno verbo, neminem relinquant abſq; aliqua purgandi ratione ætati, ſexui, temperamento, habitui, conſuetudini, rationi vitæ, ac deniq; electioni ipſius aſſumentis, decenti, & familiari. Scio me multò pauciora hac in parte dixiſſe, quàm inſignis humorũ prouentus, & maxima purgandi neceſſitas requireret: cæterum cum hæc ratio purgandi corpora, Medicis etiam mediocriter in arte verſatis non ſit ignota: ſatis mihi viſum eſt viam tantum præmõſtraſſe, interim permittens, vt Excellentiſſimi illi viri pro ſumma eorum eruditione, iudicio, & peritia: cetera inueniant, atque perficiant. Ego verò interim paucula quædam prefatus de Purgantibus Caput; ad maiora me conuertam.

CAPVT L.

DE PVRGANTIBVS CAPVT.

SI quis eſt caſus in quo caput purgantia locũ habeant: hic ſanè Sarmaticus vnus eſt omnium præcipuus. Cuncti enim morbi, ac ſymptomata, quæ in eo reperiuntur, dolores articulares, connulſiones, gibboſitates, membrorum laxationes, oculorum inflammationes, pediculatio,

tio, & furfuratio nõ ſine aliqua capitis læſione pro duci videntur. Atq; ideò Errhinis ſeu Naſarijs, & Apophlegmatiſmis Cerebrum erit euacuandũ. Huic tamen operationi, virulentia vſq; adeò proxima in capillis contenta obſtare videtur. Nam ſi venę ſectionem in cubito factam formidamus, nè venenum reuocet; quid putandum de Apophlegmatiſmis & Ptharmicis quæ ipſi veneno tàm proxima ſunt? Conueniunt tamen. Neq; enim grauiſſimi dolores interni abſq; hac purgatione integrè remoueri. neq; affectiones externæ ſuperari poſſunt. Imò verò neq; capillos implicatos quiſpiã iure optimo præſcindere abſq; Apoplexiæ, Epilepſiæ, cæcitatis, aut conuulſionis periculo ſibi perſuadeat: qui caput vſqueadeò plenum antea non emundauerit. Sint itaq; in vſu naſaria, maſticatoria, gargariſmata, aliaq; id genus Caput-purgia. Et quando fortioribus propter agitationis periculũ vti non licèt, ſaltem mitiora proponantur, ac reciplantur. Itaque pro maſticatorio accipiemus aut maſtichem ſimplicem; aut radicem Pyrethri, aut melli addemus aliquid Sinapis, aut idem Sinapi, & Piper, Pyrethrum, & Zinziber puluerizata, imponemus in linteo aliquo, factoq; nodulo, patienti dabimus vt in ore detineat; Aut decoctum parabimus pro gargariſmate, ex Hyſſopo, Pulegio, Stœchade, Calamento, Origano, ſimul cum melle roſato: aut illiniemus palatum Dia ſinapi, Theriaca, Mithridato admixta portione oxymellis ſcillitici tam in decocto, quàm in linimento. Hæreat autem memoriæ commune illud præceptum, ne vlceratis faucibus, aut laborante arteria & pulmonibus acriora hæc ſint in vſu. Quę purgant per na-

res

res: si sternutamentum inducant, minimè probantur, quòd nimis agitēt. satis erit vti succo Betæ, aut Maluæ, aut Hyssopi addito modico melle Rosaceo aut Oxymellite vel simplici, vel scillitico, aut aqua hordei cum manna, vel similibus. De medicamentis quę ad humores in corpore peccantes diriguntur, satis dixisse videor. Reliquum est igitur vt ad venenum transeamus. Quia verò hoc in quibusdam est duplex, Plicæ proprium, & commune Gallicum: ego in præsentia de Gallici curatione tā tum dicam, quantum ipsummet Plicæ venenum requirere videbitur. Qui enim plura de hac re voluerit: nostrum de lue Venerea libellum perlegere poterit, in quo nulla prætermittitur eggregia, aut singularis curādi ratio, quæ hactenus à tot summis viris de hoc morbo scribentibus excogitata, atq; vsu habita fuerit. Ad rem ergò iam proximè accedamus: & primum quidem de medicamentis venenum vel educentibus, vel alterantibus, verba faciamus; mox & de spasmo iam facto, & gibbositate relicta, aliqua subiungamus; deniq; ad præseruationem accedamus: sicq; Dei Opt. Max. auxilio operi finem imponamus.

CAPVT LI.

DE CVRATIONE VENENI IN GENERE.

QVæ pro exstirpandis venenis in vsum medicum accipi debent: notissima sunt. tractantur enim euacuantibus, & alterantibus, vtrunq; verò fit & occultis & manifestis qualitatibus. Incognitus tamen & dubius

bius est euacuandi locus, ac modus: difficillima quoq; inuentu sunt propria alterantia à tota substã tia. Si enim de euacuatione sit sermo, potest venenum & Vomitu, & Medicamentis Subductorijs, & Diureticis, & Sudorificis, & in cutem attrahentibus euacuari: vt propterea in nostro hoc casu non facilè constet, quem locum aut modum eligere debeamus. Ceterum si morbi subsistentia locum euacuationis nos docet (veneno hoc vt docuimus in toto corporis ambitu præcipuè verò in cute capitis, & capillis subsistente) attrahentibus in capillos & cutem, erit purgandum. Eadem enim est huius, & morsus venenati ratio; vt sicuti venenum morsu inflictum ideò attrahentibus tractatur quòd virulentia altas adhuc partes non petierit, sed in loco momorso atq; in ipsa tantum corporis circumferentia resideat; ita & istud, cuius sedem diximus esse in corporis ambitu, nullum habebit euacuationis commodiorem locum ipsa cute. Cõ firmatur, quia si solis rarefacientibus, vel ecphracticis, magna huius virulentię pars expurgatur, maximoq; patientis emolumento: ergò attrahentibus & impellentibus quòd residuum fuerit integrè expugnabitur. Quare ad attrahentia statim descendamus. Quorum cum quædam similitudine substantiæ: quędam alijs modis trahant: singula sunt distinctè à nobis proponenda, ac primo agendum erit de attrahentibus similitudine substantiæ.

CAP.

CAPVT LII.

DE ATTRAHENTIBVS SIMILITVDINE SVBSTANTIAE.

ATtrahentia venenum similitudine substa tiæ, video dupliciter intelligi posse: vel enim est similitudo proprietatis substa tię medicamenti, cum proprietate substantię vene ni: vel est similitudo materiæ medicamenti cum materia proxima veneni. Vtrunque dici potest, vtrunq; est in vsu: De vtroq; singillatim loquemur. Similia igitur in proprietate substantiæ, ad huc bifariam diuiduntur. Vel enim similia sunt in Genere vel in Specie. Similia in Genere plurima inueniuntur, in Specie pauciſſima, & experientia tantum, vel fallaci Analogismo inuenta, ratione autem nunquam comprobata. De hac specifica proprietate aduersus venenum Poloniæ: nihil certi habeo quòd proponam, qui cum uideam & mihi & cæteris omnibus ignotam esse substantialem illam formam, uel temperamenti proprietatē per quam agit: ignotam quoq; esse debere proprietatem medicamenti in specie huic simili, nemo inficiabitur. Si ergo attrahendum est similibus, eligenda sunt similia in genere, non autem in specie. Hæc uerò similitudo generica est ueneni cum veneno: ita tamen vt venenum exterius, interiore sit fortius. Si enim fortius non sit, non attrahet, sed attrahetur. At si fortius est venenum quod attrahit quàm quòd attrahitur, quomodo potuit nos do-

cere

cere Gal. v. simpl. 18. medicamentum veneni attractorium, medium esse debere inter venenū & corpus? Si enim sit medium, erit pro aliqua sui parte naturæ amicum, ideoq; inefficacius eo quod euocare intendimus, quodq; mediam non habet naturam, sed prorsus naturæ nostræ inimicam. Dum super hac difficultate diligenter considerarem, multas ob causas inuenio Alexiteria medicamenta fortiora esse ipso veneno intrinseco, & tamen media inter corpus & venenum vocari. Quædā enim potentiora euadunt, quia præter substantiæ similitudinem, cuti adhibita dolorem inferunt. Itaq; dolor est comes proprietatis medicamenti. Quędam sociam sibi adiungunt insignem caliditatem: nōnulla vim habent euacuandi sensibiliter. Ad euacuationem verò sequitur vacuum, ad vacuum autem, attractio: Itaq; vacuum iuuat substantiæ similitudinem. His ergò auxiliarijs: potest medicamentum quanquam ratione proprietatis veneficæ infirmius intrinseco potentius esse. Est quoque alia ratio. Dantur enim quædam attrahentia inter Alexiteria connumerata, nulla ratione ex se media, sed omninò deleteria; vt Arsenicū vel Risagallum, quæ tamen tunc vt arbitror media dici possunt inter corpus & venenum: cum extrinsecus admota, non actuentur, neq; cutem exurant; Quando enim actuata solidā substantiam comburant, aut putrefaciant, non amplius media dici possunt. Sed de his postea. Nunc autem ad attrahentia, quæ verè media sunt, nostra iterum conuertatur oratio. Sunt in primo genere illa quæ dolorē inferunt ac calorem, vt Sinapismi. Confici autem possunt non ex Sinapi tantum, Pipere, Pyrethro,

Euphorbio, Caricis, & id genus calidis: verum etiã ex alijs quæ maiorem cum interno veneno videntur habere ſubſtantiæ ſimilitudinem Trochiſcis ſcilicet viperinis, puluere albi Hellebori, Colocynthidis, bryoniæ ac ſimilibus. Poſſuntq; fieri vel Emplaſtra, vel Cerata, vel Linimẽta de quibus abũdè diximus nos in primo noſtro de Phœnigmis libro. His ſuccedunt, quæ præter ſubſtantiæ ſimilitudinem calorem & vacuum ſibi adiungunt, vt quæ veſicas, excitare poſſunt, in qua claſſe ſunt Flammula, Batrachium, Lepidium, Cantharides, & alia id genus à nobis pariter deſcripta in primo de Phœnigmis, & in poſtrema eiuſdem libri tertij parte. Poſſunt hæc quoq; ex maximo vſu eſſe, atq; ideò admittenda illis ſunt, qui ab hoc morbo vindicari cupiunt. Cum autem varijs componantur modis: Mihi tamen hæc cõpoſitio maximè arridet, vtpotè quæ veſicam vrinariam nullo modo lædere poſſit. R. Succi flammulę Iouis, Ranunculi, an. vnc. s. Euphorbij. dr. j. Sinapis, Piperis, Pyrethri. an. dr. s. Reſinę pini, Ceræ. an. q. ſ. m & f. Ceratum. Mihi inquam hæc, atq; aliæ, Cantharides non recipientes, valdè probantur: vtpotè quæ omni careant ſuſpicione mouendi humores ad veſicam, illamq; exulcerandi. Iccircò ſi cui minus placeat Ceratum, cõponat medicamentum hoc modo. R. Synapis præparati cum decocto caricarum ex deſcriptione Oribaſii. dr. ij. Euphorbij. dr. j. Succi flammulæ Iouis aut ranunculi vnc. s. Caricarum ex eodem Oribaſio prępparatarum dr. vi. m. Hæc ſeu veſicantia, vel Sinapiſmata capiti potiſſimum adhibẽda ſunt, præcipuè in ſummo vertice ſuper commiſſura coronali, ſi implicatio capillorum non prohibeat; ea verò

rò prohibente, apponantur in occipite, & post aures, nunquam tamen prætermissis alis, aut pube. Implicantur enim in his quoq; locis pili, & consequēter per decentē locum virulentia purgabitur. Si ibidem vesicam inferant: sublata epidermide, parti adhibeatur Diachylon cum gummi, Cerato sacro æqua portione commixto: diuq; si fieri possit, vlcus apertum detinentur. Brachijs & cruribus non puto esse apponenda, quando locis iam dictis affigi possint. Etenim quò natura vergit eò ducere oportet; vergit autem materia ad caput axillas & pubem, itaq; per hæc loca omnium ignobilissima est educenda. Video pleroſq; statim dicturos Cerata ista & Emplastra pilosis locis affigi non posse: ego idem censeo, sed sicuti piaculum esse video comam præscindere: ita ignoro, sit ne idem aliorum quoq; pilorum iudicium. Quòd si fuerit, dimittantur: sin minus, in emūctorijs iam propositis pili abradantur, deindè verò ibidem cerata apponantur. Quòd si ibi affigi non possint, tunc brachijs, & cruribus admoueantur. Non enim sunt in hoc casu spernendi loci isti, cum possit natura vel ad vesicatorij locum, vel ad propinquos articulos abscessum facere; vt sine vesicantibus aliquando factos esse, in illius Illustriss: Matronæ Epistola legi, quæ in seipsa hos aliquando expertam esse scribit, paulo tamen post euanescentes. Qui sanè si non retro cessissent: illam multò citiùs, & faciliùs ab huiusmodi molestia vindicare valuissent. Nè igitur iam incipientes retrocedant, & vt non apparentes superueniant: vesicantibus vtendum, in illisq; tandiu insistendum, donec vel abscessus adueniant, vel saltem alijs Alexipharmacis, & Alexiterijs veneni

vires maiori ex parte infringantur, vel ex diutina per locum exulceratum eductione, ipsummet venenum exspiret. Quantum enim possint hęc in educendo veneno, docui in secundo de Phœnigmis lib. quotidie in Pestiferis febribus experior, alioqq; quotidiè felicissime experientes audio. Neq; verò detereantur pauperes, aut qui ab officinis medicis longè absunt, qui putent se huius medicamenti materiam habere non posse. Nil enim inuentu aut paratu faciliùs. Qui non potest habere composita, accipiat simplicia. Ranunculus vbiq; crescit, hydropiperis vbiq; est copia, lepidium, flammula, non sunt vsqueadeò exotica. Non desunt Cantharides, non Sinapis, non Euphorbium, non Thapsia, non fimus Columbinus, non acetum acerrimum. Ex his omnibus vel simplicibus, vel mixtis eligat quisq; sibi cognita, ac inuentu faciliora, eiusdem tamen facultatis. Audio nunc esse Medicũ in Germania qui omnes peste correptos curare potest, impositio pro vesicante Napello, eoq; virulentiam omnẽ ad se trahente. Non ommittantur ergò vesicantia, Quòd si quis quocunq; modo, & loco vesicantia recuset, nonnè sunt alia, Olea, Linimenta, Aquæ, Magnæ Antidoti, quæ locis etiam pilosis affricata, attractionem molientur, & caliditate, & substantiæ similitudine. Huius farinæ sunt Theriaca, Mithridatum, Oleum de Scorpionibus vel Mattheoli, vel Carauitę. Et quãquã Scorpij in Polonia non gignãtur, Officinęq; Oleũ prępărãtes magno vt audio errore, pro Scorpijs imponant vermes hirsutos erucæ pini similes, sed maiores & crassiores sub saxis degẽtes, quos vulgo à villis & hirsutie vrsulos vocant: attamen sicuti Theriacam, Mithridatumq;

tũq; Poloni, atq; aliæ nationes ex Italia noſtra ĩ patriã transferũt, poterũt pari rõne olea hęc Magiſtralia ab Italia petere. Atq; hęc obiter ad cautellam pharmacopolarũ dicta ſint. Attrahũt quoq; calore & ſubſtantię ſimilitudine, Oleũ Magni Ducis Heturiæ, Aquæ Theriacales quarum deſcriptionem inferiùs proponam, aliaq; multa eandem facultatem obtinentia. Horum vſus talis eſſe poterit, vt loci iam prædicti aliquo ex relatis oleis in quacũq; die naturali quater inungantur hoc ordine; confricata primum parte linteo aſpero ſicco: deinde verò ſpongiola aqua ardenti imbuta eadem leuiter madefacta; & paulò poſt exterſo loco, oleũ calens adhibeatur. Idẽ fit Linimenti vſus, quòd ex Theriaca, aut Mithridatica confectione aquæ ardenti commixta admoueri poterit. Superſunt iam attrahentia omninò deleteria, & nequaquam media inter corpus & medicamentum; quorum duplicẽ inuenio apud Medicos pro venenis euocandis vsũ, ego verò tertium excogitaui minimè ſpernendũ. Primus eſt, vt cutem exurant, & cauterium inferant, quæ non quatenus venenatá venenum trahunt, ſed vacuo tantum, quidquid alij in oppoſitum ſentiant. Quæ enim proprietate ſubſtantiæ venenum attrahunt, ſicuti antea ex Gal. docuimus: media inter corpus, & venenum eſſe debent. At quę cuti adhibita illam ſtatim exurunt, ac corrumpunt: ſanè media non ſunt, imò lethaliora multò quàm intrinſecum venenũ. Attrahunt ergò hæc non ſubſtantiæ ſimilitudine: ſed dolore, calore, & vacuo, eadem prorſus ratione, qua actualia cauteria venenum ad ſe trahere putantur. Nam ſicuti in actualibus cauterijs, ignis ipſe medius non eſt in

ter

ter corpus, ac venenum, neq; vllam habet cum veneno similitudinem: sed dolore tantum, calore, ac vacuo, humores à profundis, ad extimas exustasq; partes allicere potest: ita & caustica medicamenta, quanquam media non sint, venenum tamen in exustum locum ducere valent. Atq; ideò non destruunt cauteria hæc, siue actualia, siue potentialia Gal. dogma; Alexiteria scilicet, media inter corpus, & venenum esse debere. Etenim de illis loquitur, quæ trahunt substantiæ similitudine. Hęc verò quocunq; tandem modo operentur, nulla ratione sunt omittenda; imouerò posteaquam de illis iam incidit sermo, quæ in veneno hoc Pocutiano maximè vtilitatis esse posse censeo, de eorum recta administratione aliquid dicam. Itaq; cum capiti potissimum post prædictas purgationes inurenda sint: nemo tamen existimet, in hoc tam magno malo nos vnico, aut duobus tantum fore contẽtos. Hippocr. & post illum Aetius, in capitis affectionibus maioris momenti, octo etiam vstiones probarunt: alias in syncipite, quasdam in occipite, alias quoq; in temporibus. At quæ maior affectio hac ipsa inueniri potest? Nulla certè: Quòd si propter maximã quâm habet virulentia ista in capite vim, quatuor, sex vel octo probantur vstiones, (quas tamen consulo, vno tantum, vel altero Mense apertas esse detinendas) quid prohibet quominus propter reliquam quoq; corporis labem, in alijs etiã partibus inuramus? Profectò si dixerimus emũctoria aut igne, aut caustico esse inurenda: admirabitur fortè quispiam, & irridebit. Sed cur? an non vruntur hæc loca si Bubone afficiantur vel Gallico, vel Pestilenti? an non aperiuntur ferro, igne

actuali

actuali & virtuali partes istæ malignis & contumacibus strumis affectæ? Quid ergò prohibet quominus in hoc etiam casu naturam imitantes, actuali cauterio in singulis emunctorijs, vel in duobus saltem, vno quidem lateris, altero pubis, virulētiæ exitum procuremus? Mihi quidem rationabilis videtur operatio, & in morbo vsq; adeò contumaci, ac rebelli, ceteris non conferentibus, haud quaquam omittenda. Hic igitur primus est attrahentium deleteriorum vsus. Secundus autem nouus est, antiquis ignotus, fortè etiam nullius utilitatis: dicam tamen quòd sentio. Putant nonnulli Arsenico, Auripigmento, Risagallo uim quandam inesse attrahendi venenum, si tantum collo apendātur & ad regionem cordis apponantur. Asserunt quidam in Peste hæc vsq; adeò valere: vt nemo illorū qui hæc gestauerit Pestilentia captus vel exstinctus fuerit. Accipiunt enim vel Arsenicum, vel Risagallum, & cum Gummi Tragacanti, vel albumine oui in placentulas redigunt, in sacculum ex serico factum conijciunt, & cordi appropinquant, quidam simplicē, alij verò cordialibus mixtum. Quidquid de hac re scribant Georgius Agricola, Mōtuus, Fallopius, Thomas Iordanus, Ioannes Pistorius, Petrus Droetus, hoc certò scio in Pestilentia Patauina anni 1576. Excellentissimum felicis memoriæ Hieronymū Capiuacceum, hæc multis propoluisse & adhibuisse, quæ tamen nihil eggregium præstarunt. Sed cum mea sententia nihil obesse possint: permitto vt quisq; pro suo arbitratu illis vtatur dummodo reliqua maioris momenti non prætermittat. Dixi obesse non posse. Quāquam enim pernicioſissima sint, à calore tñ nāli non alterata:

neq;

neq; actuata, noxam corpori inferre non valent. De Argento viuo alia profectò est ratio. Istud enim venenum non est vsq; adeò solidum, densum, siccumq; vt nihil expiret, & sine actuali contactu insigniq; alteratione agere non possit; Imò, verò etiã collo appensum, & in solido, atq; angusto loco inclusum, valentissimas viderur obtinere vires. Hoc certò scio, & Patauij res est notissima, ac frequentissima, quàm obseruauit in hac nostra Vrbe Thomas Iordanus tract. 3. cap. ix. mulieres plebeculas lactantes, cum primum lac amiserint, à pharmacopolis corticem auellanæ in hunc vsum à medulla excauatum, & foramine angusto fabrefactum, argento viuo plenum sibi ipsis emere, obturato cera orificio, & collo appendere, vt lac restituatur. quod ipsis ex voto succedit. Et quanquam istæ tanquàm superstitioseę putent Argentum hoc fascinationibus prodesse, quę animo concipiunt amissum lac ob fascinationem fuisse deperditum: ego tamen aliter sentio, qui cum videam hydrargyrũ vaporosam in se habere substantiam, & vsq; adeò tenuium esse partium, vt non modo in penitiores quasq; partes se insinuare possit, verum etiã tophaceos tumores dissoluat, ac digerat: animo cõcipio, ideò prodesse deficienti lacti, quòd valeat crassum sanguinem fundere & attenuare, qui propter sui crassitiem, & lentorem venas mammarum ac glandulas ingredi non poterat. atq; ideò tantam videmus in hoc uapore efficaciam, ut qui argento viuo ad inargentanda specula frequenter utuntur: magna ex parte tremuli, paralytici, stupidi, ac ueterno si euadant, gingiuas habeant exesas, dẽtes erosos non minus quàm illi qui inunguntur, ut à lue Venerea

nerea vindicentur. Quòd maius est, scribit Ferdinandus Ponzettus lib. 2. de venenis cap. 21. quendam aperto vase in quo argentum viuum per aliquot hebdomadas ad ignem continuerat, statim sine loquella decessisse. Hæc libenter de Hydrargyro proferre volui: quia ad rem præsentem mihi maximè conducere videntur. Si enim collo appensum, corpus penetrare valet, crassamq; substãtiam dissoluere: quid prohibet quominus possit substantiam hanc crassiorem in ambitu corporis collectam tenuiorem reddere, & ad exitum parare? Mihi sanè id fieri posse videtur, & quamuis experimentum fortè fallax sit futurum: periculosum tamen non est. Et qui, infra vsum eiusdem Hydrargyri pro inunctione proposituri sumus: multò magis in auellana probare debemus. Experiantur ergo Poloni hoc etiam medicamentũ, & pro curatione præsentis affectus, & pro præseruatione, maximè autem in infantulis, quos alia ratione curare, aut præseruare difficillimum puto. Venio iam ad tertium vsum, quem cum propter multas causas inter primas huius curationis partes reponendum esse censeam: iccircò liceat nobis de eo in sequenti Capite abundè disputare, quando hoc iam satis conuenientem habuerit prolixitatem.

CAPVT LIII.

DE PSILOTHRI VSV.

INter operationem illam causticã quàm actuata vrentia medicamenta exercent in carne: & inutilem illam, quam per solam appensionem

fieri credo; media est quædam sanè celebris; depilatoria scilicet: qua, medicamentum pilis impositum, breui temporis interuallo, funditus omnes eruit, Psilothrumq; quasi Depilare medicamentū vocatur. Hactenus nemo quod sciam eo ad venenum extrahendum est vsus: ego tamen in eo tantopere confido, vt audeam affirmare, nihil in rem præsentem elegantius, efficacius, magisq; ptæsentaneum excogitari posse. Faxit Deus Opt. Max. vt in communem omnium ægrotantium vtilitatē, spei, euentus respondeat: & quòd rationibus fulcitum est, felix habeat experimentum. In hoc morbo, facta iam Plica nihil magis est expetendum, quam turpem illam implicationem amouere, veneni reliquias attrahere, pediculos fugare, porriginē seu furfurationem, pædoremq; omnem superare. quæ omnia horæ quadrante præstabit Psilothrum. O Dij boni, dicent statim Poloni, iam intellexisti quāta superuenirant mala illis qui Plicam abscindunt: quid ergò refert Psilothro, an nouacula, vel forcipe capillos tollere? Quibus ego vicissim narro. Multum profectò inter se Nouaculam, Forcipes, & Psilothrum distare. Ferrum enim aliquid pili semper in radice relinquit, qui ex refrigeratione externa, & obstructione interna, virulentiæ in corpore existenti exitum prohibet. Ferrum propria facultate refrigerat, caputque ipsum dum operatur frigido aeri exponit: At Psilothrum pilos funditus adimit, calefaciendo agit, extrinseco aeri occurrit. Ferrū deniq; præter excisionem nihil præstat: Psilothrū verò eo ipso tempore quo pilos corrumpit, virulentiam ad se trahit. Et si attrahentia quæ pilos nō perdunt; vel substantiæ similitudine vel alijs modis

dis venenum extrahunt: multò aptiùs Psilothrum id facit, quòd impedimenta pilorum, & pediculorum arcet, omnibusq; modis attrahere valet. Habeatur ergò Psilothrum inter prima medicamenta, & eò potissimum, quòd non ita pilos corrumpit, vt amplius non reuertantur, imò verò illos numerosiores & lætiores quãprimum apparere videas. Doceamus igitur Psilothri materias, & administrãdi modum. Psilothri materia, aut in solam depilationem dirrigitur, vel in alios etiam scopos. Si primo modo, sufficit calcis viuæ partes duas accipere, auripigmenti partem vnam, aqua subigere, pilis emplastri modo apponere, per octauamq; horæ partem, plus minus sinere. Hoc tanquam commune, nos in præsentia omittimus, illudque accipimus, quòd varia recipiat medicamẽta ad Pythiriasim, & Phthiriasim, attrahendumq; venenum accommodata. Eo sic composito, vsi etiam sunt veteres ad varias superandas affectiones, Paulus quidem & Aetius ad Elephantiasim, idem Paulus & Alexander ad Podagrã, Arthritim, fluxumq; mu liebrem supprimendum. Ex quibus potest vnusquisq; statim conijcere, quanta polleat medicamẽtum istud facultate attractoria, vt non iniuria à nobis in hoc affectu ceteris præferatur. Componatur autem hunc in modum. Calcis viuæ libr. j. Auripigmenti libr. s. Nitri, Aphronitri. an. dr. j. Staphysagrigę, Pyrethri, Piperis, an. dr. j. s. m. & cum aqua f. compositio. Huius portio adhibeatur capillis, alia verò ceteris locis implicatione laborantibus. Est verò hæc formula quædam medicamenti, ad cuius imitationem vnusquisque pro suo arbitratu poterit alias concinnare, vel addendo, vel minuendo:

do: Possunt enim ipsi Calci, & Auripigmento ea omnia adiungi, quęcunq; calida & attractoria, ex herbis, radicibus, seminibus, gũmi, succis, liquoribus, fossilibus, mineralibusq;, mari, terraq; nascentibus, in vsum attrahendi virus extra corpus, venire possunt. Satis puto nobis fuisse monstrasse viam planam & facilem, qua vnusquisq; his vtatur: reliqua quisq; vt libuerit, perficiat. Sublata autem pilorum implicatione, depilatæ partes aeri frigido non sunt exponendæ, sed Dropace aliquo muniendæ; quòd pariter attractoriam habeat in se facultatem. Componatur ergò hoc medicamentum, & super corio, aut duriore linteo extendatur, tantæ amplitudinis vt totum caput in modum galeę cooperiat. R. Serapini, Styracis, Bdellij. an. vnc. j. s. Cyperi, Schœnanthi, Castorei, Euphorbij. an. dr. j. Stœchados, Calamenthi, Maioranæ, Roris marini. an. dr. ij. Caryophyllorum, Xylaloes, Nucis moschatæ an. dr. s. Radicis ireos. dr. iij. Dissoluantur primum gummi ex vino generoso, deindè addantur puluerres, postea addè Ceræ & Resinę. an. q. s. m. f. cerat. Hoc singulis diebus amoueri debet; nam in huiusmodi auulsione violenta, veneni attractionem faciet. Degat autem patiens toto hoc tempore in loco calido, maximè verò quando Ceratum auellitur. Pilis autem iam succrescentibus à Cerato abstinendum, & illius loco, Smegma aliquod substituendum, non quidem ex quacunq; materia, sed ex attractoria veneni, & quæ minimè possit, pilis succrescentibus incommodare. Parabitur autem Smegma hunc in modum. R. Myrrhæ, Acori, Helenij, Sulphuris viui an. dr. j. Ireos. dr. ij. Erui, Farinæ lupinorum an. vnc. j. Pyrethri, Piperis, Euphor

bij

bij, Sinapis.an.dr.j.s. Puluerizentur omnia, misceã tur, ponantur in facculo non admodum denso, locis prædictis affricentur: deindè verò actu calida super eosdem locos relinquantur, ac si refrigescãt iterum calefacta repetantur. Dixi de hac re multa apud me nõ inutilia, aut spernenda: iccircò erit Polonorum Medicorum officium hæc diligenter cõsiderare, & si illis placeat, exsecutioni mandare. Transeo iam ad reliqua.

CAPVT LIV.

DE ATTRAHENTIBVS SIMILITVDINE MATERIAE.

Sicuti difficillimum est veneficam inuenire substantiæ proprietatem interiori veneno similẽ: ita facillimè inuenias similitudinem substantiæ inter materiam medicamenti, & materiam veneni. Neq; enim vsqueadeò difficile est cõsequi materiam veneni, sicuti eius formam, ac proprietatem. Iccircò cum omnia ferè animalia venenata existimẽtur in se ipsis habere venenum & antidotum, hæc antidotus, vt ego censeo, non est proprietas formæ oppositа proprietati formæ veneni: sed est potius similitudo materiæ, cum materia veneni. Qua ratione fit, vt pars substantiæ non venefica, venenato morsui appositа, vel affricata: putetur statim omnem virulentiam ad se trahere, quia cum veneno, materiam ducit quasi partem sui ipsius. Sic venter Scorpij, Vespæ, Crabronis, Phalangij, demorso loco affricatus: caudę vel aculei virulentiam

lētiam euocat. Sic iecur Paſtinacę marinæ, & Scorpij piſcis, vel Scorpenæ, Draconis, & Leporis marini partes, puncturis vel morſui adiunctæ: morsū ſanare dicuntur. Hæc ſimilitudo vſq; adeò indiuidualis, partis ſcilicet eiuſdem cum eadem, in præſenti caſu noſtro haberi non poteſt, duplicem ob cauſſam. Primò quia venenum hoc non eſt vſque adeò naturale & congenitum, ſicuti congenitum eſt venenum Scorpij phalangij, & aliorum. Secūdo quia nefas eſſet hominis partes in hunc vſum recipere. Iccircò quando ſimilitudo neq; indiuidualis neq; ſpecifica in præſenti caſu haberi poteſt, ad genericam ſaltem confugiamus. Nā ſi iuuat iecur Canis rabidi proprium venenum, quòd, non minus quàm iſtud Polonorum, præternaturale eſt: iuuabunt fortè morbum iſtum quę nunc proponemus, valdè ſimilia materiæ huius veneni. Erunt ergò ſimilia in materia huic veneno cuius ſubſtantiam diximus eſſe pinguem, & oleoſam, caloreq; temperato donatam, illa omnia quæ calorem habeant pariter temperatū. qui ſi in pingui aut oleoſa ſubſtantia ſit repoſitus, multò magis iuuabit. Spectant ad hanc claſſem omenta animalium, pulmones calidi, animaliaq, varia exēterata, ſecundū ſpinæ partem diſcerpta, & actu calentia impoſita. Vt ſunt Catuli, Pulli, Columbi, aliaq; id genus. Satis quidem mihi videtur hæc capiti, axillis, ac pubi apponere. Sed cum ſciam Valentinum Borgiam Alexandri ſexti Pont. Max. filium Mulo exenterato incluſum, aſſumpti veneni vim omnem quāprimum ſuperaſſe: eadem ratione ſi quiſpiam ex Polonis deficiente Mulo (quorum ibi non eſt copia) Equo vtatur exenterato, hoc ipſum breui conſecu

turum

turum minimè diffiderem. Quòd si cui minus placeat hoc remedium, quòd Poloni natura ita equos ament: vt mortuos, maximè illos in quibus cum hoste concertarunt, sepulturæ mandent, infirmiorem verò existimet patuorum animalium facultatem: aliquam illis adiunget vim, pulueres inspergendo attractorios, ac digerentes, antea sub Smegmatis nomine propositos. Quanquam vt ingenuè dicã, non exigua sit horum animalium vis, vtpote quæ Phrenitidis, ac Lethargi materiam funditus aliquando eruere possit. Fortius quidem hæc ipsa agerent, si Psilothro caluaria pilis esset denudata. Sin minus, ipsis etiam capillis admota iuuabunt.

CAPVT LV.

DE ATTRAHENTIBVS CALIDITATE.

MVlta quidem sunt simplicia, ac composita medicamenta, caliditate attrahentia: sed hoc capite illa tantum proponemus, quorum antea facta non est mentio; Atque ideò Sinapismos, Vesicantia, Psilothra, Smegmata, Dropacesq; omittemus, de quibus satis dictum est. Supersunt aũt Lotiones, Balnea, Olea, A Estuaria, atq; alia eiusdem facultatis. De Lotionibus dicam primò; quarum vsum non possum nisi summopere probare: cum nihil commodius aut efficacius in Plica iam facta, ipsa Lotione inueniri possit: si ad Psilothra admittenda, fuerit quispiam refractarius. Et sanè summopere miratus sum, quãobrem Poloni facta iam Plica a Lotionibus capitis abstineant, pædoremq; omnem ac turpitudinẽ

fusti-

fustineant. Non possunt dicere, vereri se, ne sicuti ex vsitatis Lotionibus prohibetur Plicæ aduentus: ita ex medicatis prohiberi possit continuata virulentiæ transmissio. Nam Lotionibus illis vtendū, quibus materia euocetur, decocto inquam Fabæ, Sphōdylij & seminum Cānabis. Si.n.hæc ab initio Plicā faciunt: cur continuata & repetita, reliquias non purgabunt? Ita sanè mihi videtur. Atq; ideò Lotiones capitis frequentes laudo, ex rarefacientibus, abstergentibus, attractorijsq; paratas. Itaq; imponantur Lupini, Sphondylium, Fabę, Ellebo rus niger, Staphysagria, Iris Illyrica, Calamenthū, Pulegium, Origanum, Stœchas, Maiorana, Saluia, Rosmarinum, Betonica, Ruta, Scordium, Dictamnum, aliaq; id genus calida, putredini resistentia, venenum educentia. Fiant autem Lotiones istæ vel singulis, vel alternis diebus in loco admodum calido; &ad maiorem absterſionem conficiatur sapo hunc in modum. R. Saponis communis incisi in minutas partes atq; in vas fictile cum vino Protropo dissoluti, lib.ij. Myrrhæ, Ladani, Thuris, Styracis, Cyperi, Aloes, Spicæ, Sinapis, Costi, Cassiæ ligneæ, Ireos. an. dr. ij. m. Hic vt. dixi ceteros omnis medendi modos præcellit: dū Emplastra, Cerata, vel Linimenta, siue exulcerantia, siue nō exulcerantia, pilis præsentibus, locum habere non possunt. Dantur quidem Olea quædam calida, multò infirmiora Oleis superius propositis, vt est Costinum, Rutaceum, Amaracinum, Laurinum, Sambucinum, Irinum, ac Petroleum omne: sed spurcitiem in capite augebunt, fortè etiam ipsi cuti affricari non poterunt. sine frictione verò potius obstruere, quàm abstergere valent: cum non sint vsq;

adeò

adeò attractoria, vel tenuissimarum partium, sicuti Oleum Carauitæ, Magni Ducis, & Mattheoli. De Balneis autem communibus id ipsum sentio, quod & de Capitis lotione: prodesse quidem illa posse, dummodo ex herbis illis calorificis parentur, quarum antea memini, sintq; ita calida, vt sudor toto corpore erumpat. Non enim ad alterandum, sed ad euocandum venenum hoc loco proponuntur. Quòd si quispiam Balneo vti non possit, habeat magnas cucurbitas, aut vesicas bubulas, saltem quatuor, prædicto Decocto plenas, quarum duas sub axillis, alias verò femoribus apponat. Laudo quoq; AEstuaria in quibus sudent patientes; quocunq; tandem loco, & modo parētur. Sed præ ceteris omnibus vnum commendo maximè notandum, & absq; omni contradictione in vsu habendum. Est autem vsus panis nuperrimè ex furno extracti, cuius decem vel duodecim ordines, patiente in cubili degente, secundum omnem corporis circumferentiam appositi, non sudorem tantum mouent, sed quòd maius est, articulares dolores, & conuulsiones vsque adeò benè, & valenter iuuant, vt nil præstantius in rem præsentem excogitari possit; quod ego ipse nō vnica experiētia cō firmaui. Adde, ex attrahentibus venenum similitudine materię, hunc valdè similem esse: cum vapor ipse panis moderatè calidus sit, atq; in lenta quadam substantia positus, quemadmodum, & venenum istud. Habeatur ergò hic panis vsus inter prima remedia, siue toti corpori admoueatur, siue partibus tantum implicatione affectis: siue sit Panis siligineus qui & triticeus dicitur, siue secalicius, cuius ibi communissimus est vsus, siue hordeaceus,

siue fabaceus, siue auenaceus, siue ex illo Hederifolio frumento quod Polonicè *Tatarka*, Roxolanicè *Hreczka*, Bohemicè *Pohanka*, nominatur, (illud enim Matthiolus farracenicum appellat, peritiores verò Herbarij, alterum Eryſimum Theophraſti conſtituunt) ſiue ſit panis ſyncommixtus aut ſecundarius vocatus. Pro pauperibus enim, ea sũt accipienda: quæ illorum inopiæ conueniant; vt quãquam maior exſpectãda ſit vtilitas ex triticeo pane optimo quã ex reliquis; attamen in illius defectum, alij omnes prędicti, ſubſtitui poſſint.

CAPVT LVI.

DE ATTRAHENTIBVS RATIONE VACVI, ET DOLORIS.

NON diſputabo in præſenti Capite vtrum vacuum vim habeat attractoriã, & quomodo idem vacuum, atque dolor attractionem moliantur. Curationem quærimus, non diſputationes inutiles. Senſus ipſe docet, vacuum non admitti, & in materiæ euacuatæ locum, nouam ſemper ſuccedere. Conſtat quin etiam, ad locum dolentem materiam confluere, vel quòd natura dolenti parti ſuppetias ferrè cupiat; vel quòd attractrix facultas ex inductò calore, violentius ſuo munere fungatur. Quocunq; modo res habeat, certum eſt attractionem ab his fieri. Quæ igitur propter vim vacui attrahunt quia euacuando id faciunt, dupliciter inuenio hoc præſtare poſſe. Aut enim euacuant ſenſibiliter, aut inſenſibiliter. Senſibiliter quidem Cauteria, de quibus

bus antea diximus, & cucurbitulæ scarificatæ, de quibus in præsentia illud dicemus, quòd antea de cauterijs protulimus, illas scilicet & capiti, & axillis, ac pubi cum multò igne, & profunda scarificatione esse adhibendas, vt virulentia extrahatur. Insensibiliter verò euacuant ipsæmet cucurbitulæ sine scarificatione appositæ, quæ diebus singulis apponi possent, vel locis affectis, vel saltem proximis. In eadem classe ea sunt omnia, quæ interestri quadam substãtia humidum habeant aereum, atq; ideò poris, meatibus, ac cauernulis sint plena; quæ vt impleantur maximam faciunt attractionem. In hoc censu spongiæ sunt nouæ, decocto aliquo imbutæ, quale illud cuius antea memini pro capitis lotione. Efficaciores sunt cochleæ cum suis testis contusæ, & pilis omnibus implicatis adhibitæ. Tantam enim habent vim attractoriam, vt & antiquos Ischiadicos, & Hydropicos (si Galeno credimus) sanare possint. Hanc ob causam puto quosdam Roxolanos ab Errinaceî discerpti carnibus fuisse adiutos, non modo quòd hæc ipsa caro extergentem, digerentemq; habeat facultatẽ, sed quòd ratione substantiæ viscidæ, ac porosę, multam materiam in se absumere possit. Hinc viscus ipsum, & omnes resinæ, ac pix, in huiuscemodi parte essent accipiendæ, si locus pilis denudatus permitteret. Nam Gal. 6. simpl. visco, ac similibus, egregiam tribuit facultatem trahendi ad exteriora. Itaq; & Pix liquida, & solida liquata, & Bitumen, & Resinę, ac Gũmi, vel simpliciter, vel simul commixta, partem hanc omnium maximè implerent. Quòd si locus his non sit: nolo silentio omittere materiam remedij primò aspectu ridiculam,

sed sanè omnium fortissimam. est autem Piscis ille adhuc viuens prædictis partibus impositus, qui ab omnibus Nationibus Tinca, à Polonis, Lin, vocatur. Vtuntur pleriq; Empirici familiariter hoc pisce ad expugnandum momento temporis icterũ, ad extrahendum venenum præcipuè verò Gallicum; variisq; partibus imponunt. Audiui aliquãdo Excellentissimum felicis memoriæ Ioannẽ Antonium Siccum Galeatij nunc Serenissimi Principis Cancellarij patrem, Nobilitate, eruditione, & moribus nemini secundum, qui Venetijs summa cum sui laude, atq; emolumento plurimos annos Medicinã exercuit; pro certo affirmasse: tantam se obseruasse in his piscibus vim, in quodam misero patiente, cui Belga quidem Empiricus antiqua lue Venerea laboranti in Xenodochio S. Ioannis & Paulli hos pedibus alligauerat: vt putaret totã cerebri substantiam, ab ipsis in pedes fuisse attractam. Etenim morte illius paulò post appositionẽ succedente, sectoque capite, cranium cerebro vacuum inuentũ est, interim tantò existente in pedibus fœtore, vt sustineri non posset. Neq; verò quis statim expauescat. nam si huiuscemodi animal tandiu non detineatur, sicuti ab illo Empirico factũ est, & capillis tantum implicatis accommodetur, non vltra modum trahet. Erit fortè iniucunda operatio: sed qui sustinent Errinaceum: poterunt & Tincam admittere. Hæc de attrahentibus in cutem satis esse putamus. Nam si his ingenijs nõ euocetur venenum: neq; si alia mille proponantur, educi poterit.

CAP.

CAPVT LVII.

DE INVNCTIONE HYDRARGYRI.

INter euacuantia venenum in ambitu corporis contentum, non modò valent attrahentia, verùm etiam impellentia. Et hæc sunt in duplici differentia, vel interna, vel externa. Externa verò duo sunt præcipua: inunctio Hydrargyri, & deleteria quædam suffumigia. Dico deleteria suffumigia, ad differentiam benigniorum, quę vim habẽt exsiccandi, non autem loco mouendi humores ipsos. De his omnibus plurima diximus in tractatu de lue Venerea, ad quem locum, cupio Lectorem confugere. In præsentia verò paucis me expediẽs à suffumigijs, sicuti benigniora & odorata ex Thure, Myrrha, Ladano, Styrace, Belzoino, Xylaloe, Cinnamomo confecta, nonnisi probare possum: ita venefica ex Cynnabari, Auripigmento, ceterisq; id genus, omninò detestator, ac reijcio. De Hydrargyri autem inunctione ita sentio, illis tantũ necessariam fore: quibus dolores, & conuulsiones alijs ingenijs demulceri, aut superari non possent, siue Gallico laborent, siue non. Neq; verò obijciat mihi quispiam, Argenti viui facultatem deleteriã esse, atq; plures inueniri, qui post hydrargyri inunctionem vel obierunt, vel in paralyses, tremores, insanias, ossium laxitates, aliaq; id genus mala inciderunt. Notissima nobis hæc sunt, non tamen ab instituto deterrent, qui iam expetientia nouimus, periculosam fieri operationem hanc potius ex inungentium imperitia, quàm ex medicamenti facultate.

cultate. Ego sanctę, ac religiosæ palam profiteri possum, me pluresiam deploratos, ac miserrimè viuentes, vnico hoc remedio integrè sanitati restituisse. Videamus ergò vtrum rationabilis in hoc casu sit operatio: & si rationabilis fuerit, modum administrationis adnotabimus. Locus hic postularet vt de facultare & modo operandi ipsius Hydrargyri disputatio instituretur: sed nolo hęc communia, & aliàs explicata huc transferre, aut repetere. Mea est sententia, contrarias hoc medicamentum habere facultates, atq; agere propellendo, non attrahendo; ideoq; externis inunctis partibus, humores a parte inuncta longè propelli. Statim video aliquem dicturum, ex nostra hypothesi, nil pernitiosius hoc medicamento inueniri posse. Diximus enim venenum hoc Sarmaticum esse in corporis ambitu, iccircò curandum attrahentibus, non repellentibus: Quòd si medicamentum hoc repellit, statim erit reijciendum. Respondeo, repellere quidem humores hoc medicamentum, sed minimè in cor, aut profundas partes, imò verò ad ipsum caput, in quòd natura faciliùs huius morbi luem deponere videtur. Neq; rursum quis obijciat propellendum non esse humorem in cerebrum, & quia pars est præcipua, & quia in huiusce modi casu omnium maximè læsa videtur. Dico enim non propelli materiam in cerebrum, neq; concedo cerebrum in hoc casu imbecillum esse. Non propellitur in cerebrum: quia quotidiana obseruamus experientia, illos qui vt decet inunguntur, nunquam actionum principum labem aliquam contrahere, imò verò per os tantum abundè omnia cerebri, & reliquarum corporis partium excremēta expurgare.

gare. Accedit, quòd propulsa in superiores partes materia, cum in hoc morbo maximam habeat ad capillos propensionem: facilius est vt in capillos erumpat, quàm vt cerebrum obsideat. Et eo potissimum, quòd vt dixi imbecillum esse in hoc affectu minimè admittimus. Imbecillas quidem esse concedimus partes ab illo ortum ducentes, neruos scilicet, atq; ideò sensitiuas, ac motrices actiones grauiter lædi; sed cum Principes ipsæ nil prorsus patiantur, nullam inuenio rationem cur cerebrũ dicamus esse debile, quòd potius cum in tanta humorum copia, ac praua qualitate seipsum ab omni iniuria immune tueatur, robustissimum est censendum. Itaq; cum quotidiana experientia rerum magistra, prẽter rationem ipsam me iam sæpius docuerit, efficacissimum esse hoc medicamentum, atque innoxium: ego audacter illud tunc tantum persuadeo, cum sæuissima illa symptomata dolores inquã & conuulsiones nullo alio ingenio emendari possunt. Fiat ergò inunctio hunc in modum. R. Argẽti viui vnc. vi. Axungiæ suillæ non salitæ lib. j. mortificetur argentum viuum in prædicta axungia: deinde adde medullæ cruris bouis vnc. j. pinguedinis gallinæ, anatis anseris an. vnc. j. s. Olei Chamæmelini, Laurini, Rutacei, Costini. an. vnc. ij. Terebentinę larignæ. vnc. iij. Sinapis, Piperis. an. dr. j. Ireos, Baccarum lauri, Betonicæ, Stœchados. an. dr. j. s. Theriacæ dr. ij. Crocisc. j. m. & f. linimentum. Inũgatur autem corpus eaipsa ratione, quàm in tractatu de lue Venerea docuimus, ad quẽ libenter lectores remitto, nõ hãc tantũ ob caussã, quantũ pp alia multa Alexipharmaca huic ẽt affectui cõueniẽtia: quæ si huc trãstulero, frustra videbor bis chartas impleuisse.

CAP.

CAPVT LIIX.

DE INTERNIS VENENVM IN CVTEM IMPELLENTIBVS.

MEdicamenta quæ per os accepta venenũ expurgare consueuerunt, id faciunt vel per vomitum, vel per aluum, vel per vrinas, vel per ambitum corporis, siue sensibiliter per sudorem, siue per insensibilem transpirationem. Hunc vtrunq; vltimum modum huic purgãdo veneno putamus esse accommodatissimum: atque ideò proponenda sunt medicamenta in rem præsentem opportuna; ex quibus nonnulla sunt optima sed vulgaria: quædam meliora, elegantiora, & exotica. Vulgaris est Theriaca, Mithridatum, Sal Theriacale, quin etiam, sicuti & decoctum ex Ligno, Cortice, Salsa, China, Sasaphras, Iunipero, vulgaria sunt. (quanquam Iuniperi radicem Dioscorides & Rondelecius venenatam dicant, cuius tamen decocto, Scaliger, Aphros inquit Medicos vti ad luem expugnandam. Hæc omnia igitur accipio, atq; vel simplicia, vel mixta, aliisq; pluribus additis, quæ sudorifica putantur, vt Carduo benedicto, Scordio, Inula, & consimilibus, administranda suadeo; seruatis legibus, quas docti omnes viri qui de his scripserunt iniunxere; potissimum verò sudore, omni arte, & studio prouocato. Nobiliora his sunt destillata quæ dã (Theriacales aquas nonnulli vocant) multiplex est compositio apud varios varia. De illis non ero sollicitus, quæ legi

possunt

possunt in nostro tractatu de lue Venerea: sed vnicam proponam in hunc vsum ni fallor accommodatissimam. R. Salsæ optimè incisæ, Ligni Indici raspati an. lib. j. Dictamni cretici, Rutæ capratiæ, Hyperici, Tormentillæ, Artemisiæ, Betonicæ, Bugloss, Vincetoxici, Foliorum iuniperi, Scordij, Stœchados, Herbæ paralyseos, Aristolochiæ lõgę, Antoræ, Mentæ, Maioranæ. an. m. j. Radicis acori Gentianæ, Costi, Zedoariæ. an. vnc. j. Incidantur incidenda, & infundantur in sufficienti quantitate vini albi odorati, macerentur per tres dies deinde destillentur s.a. per alembicum vitreum, & post destillationem adde succi limonũ, citri, an. vnc. iiij Theriacæ, Mithridati, an. vnc. ij. Misceãtur omnia, deinde iterum destillentur, cuius destillationis accipe vnc. j. summo mane quatuor horis ante cibum in loco calido, vt sudor errumpere possit. Video statim aliquem perturbato animo lecturum compositionem vsqueadeò longam, & multiplicem, & quæ ad sui perfectionem multum operis, temporis, diligentiæ, & pecuniæ requirat: sed ita fert ipsa casus natura. Venenum habemus ignotum: iccircò illius alexipharmacum pariter ignotum. Ad illa ergò confugiendum, quæ vires putantur obtinuisse aptas, & idoneas, ad expugnanda omnia venena. Et quanquam scio dubiam esse hanc sententiam, reperiatur ne Antidotus aliqua, vel sponte naturæ exorta, vel arte parata, quæ venenis omnibus sit aduersaria, de qua re etiam ante Galeni tempora egregia fuit disputatio: nihilominus (vrentibus venenis exceptis, quę potius frigidis, & epicerausticis sanantur quàm Alexipharmacis, vt egre-

gio comprobat experimento Ambrosius Pareus lib.xx. cap.36.) ego cetera omnia siue frigida, siue putrefacientia moderatè calida, Antidoto vnica sanari posse, constanter affirmo; dummodo duplicem habeat præcipuam facultatem: primam, qua cor ipsum ab iniuria veneni vindicare possit: alteram, qua idem venenum per ambitum corporis digerere valeat. Hanc ob caussam antiquiores nostri, Theriacam, Andromacho (qui Neronis tempore floruit) adscriptam, inuenerunt: cumputarent Mithridatum iam antea confectum, venenoforum morsibus non admodum prodesse. Hanc eandem ob caussam, nos aquam istam Theriaca, & Mithridato, longè potētiorem excogitauimus: vtpotè quæq; & hæc recipiat, atq; alia multa recētioribus Medicis tanquam celeberrima aduersus venena inuenta, & vsurpata, summisq; laudibus ad Cœlum vsque sublata; quæ in forma hac potabili facilius assumi, promptius in vniuersum corpus distribui, virulentiam omnem per eiusdem ambitum digerere est aptissima. Quòd si quis hanc minimè habere possit, debet ne propterea arbitrari se omni remedio destitutum? haudquaquam. Proditioribus, & primatibus erit ista: pro pauperibus; vel quacunq; ratione ea carentibus, supplebunt sequentia. R. Trocisorum de Viperis scr. ij. accipiantur vel in puluere, vel formati in pillulas cum aqua Dictamni, statim verò superbibant vnc.j.s. aquæ destillatæ ex Cucumere syluestri. Idem præstabit aut dr.j. Calamenthi, aut Menthastri puluerizati, & exhibiti cum aquæ Cardui benedicti. vnc. iij. aut detur vnc.j. origani propè aquas crescentis, aut totidem succi Mentæ aquaticæ, quæ omnia me

dica-

dicamenta insignem habent prerogatiuam expurgandi per cutem. In qua classe est etiam caro Erinacei terrestris. Hanc quidem audio iam quibusdam hoc morbo vexatis esse in vsu: sed mihi multò magis placeret vt illa vterentur desiccata, quã recenti. Cum enim Galenus cui assentitur Auicennas lib. 2. cap. 145. huius Erinacei terrestris carnem Elephantiasi obnoxijs, cachectis, conuulsionẽ sæpenumero patientibus, aqua intercutem, quam Anasarcam vocant laborantibus, desicatã præbeat eò quòd facultatem habeat insignem exsiccandi, & digerendi: certò mihi persuadeo in carne ipsa recenti tanquàm viscidiore, vires vsque adeò validas non inesse, atq; ideò exsiccatam eligi debere. Sit dosis dr. j. vel altera: deturq; ex aqua sudorifica vel Scordij, vel Dictamni, vel alia consimili, per dies viginti, aut triginta, quatuor horis ante cibum. Nam si Leucophlegmatiæ & Elephantiasis materiam insensibiliter digerit: multò magis venenum hoc superare poterit. Sed tandem huic parti Colophonem imponam, si de Præcipitati vsu quædam dixero. Scio quidem Præcipitatum deterrimum esse venenum, scio tamen & illud variam habere præparationem, atque vnam à nobis in tractatu de lue Venerea propositam ex Antonio Gallo, & ex Fallopio acceptam, quæ minimè omnium noxia esse potest. Hoc ergò ad gr. v. vel vi. exhibitum, cum illa aqua sudorifica cuius descriptionem idem Antonius Gallus proponit, virulentiam per ambitum corporis digerere valet. Neq; nouum est hoc inuentum, videlicet Argentum viuum, & Præcipitatum ex eo factum, intrinsecus accepta, quanquam venena sint, alia tamen

venena vel euacuare vel fugare; vt vnicum venenum sit mors, duo coniuncta salutem adferant. Sic enim legimus apud Ausonium.

Toxica Zelotypo dedit vxor mœcha marito,
Nec satis ad mortem credidit esse datum:
Miscuit argenti lethalia pondera viui,
Cogeret vt celerem vis geminata necem.
Diuidat hæc si quis, faciunt discreta venenum:
Antidotum sumet, qui sociata bibet.
Ergò inter se se dum noxia pocula certant,
Cessit lethalis noxa salutiferæ:
Protinus & vacuos alui petiere recessus,
Lubrica deiectis qua via nota cibis.
Quam pia cura Deùm: prodest crudelior vxor,
Et cum fata volunt, bina venena iuuant.

Hæc Ausonius, qui sicuti docet Viuum argentum posse venenum nuper haustum per aluum educere: ita nos certò affirmamus Præcipitatum (quanquam aluum quoque subducat) posse per ambitum corporis humores digerere. Potest enim medicamentum deleterium plures eodem tempore excretiones ciere. Quòd si cui minus placeat Præcipitati vsus, aut illud ita pręparatum non habeat, sicuti Antonius Gallus docet: in eo casu pręcipitati loco, oleum ex calchanto recipia, cuius guttæ quinque aut sex, in aqua stillatitia Cardui benedicti, vel alia consimili, omnium maximè ad purgandum per cutem venenum valere possunt, caretq; omni periculo. Hæc de euacuantibus.

CAPVT

CAPVT LIX.

DE ALTERANTIBVS VENENVM INTERNIS.

ALterantia venenum, vel agunt à tota ſubſtãtia, vel per manifeſtas qualitates. Verſabimur nos in ijs potiſſimum quæ agũt à tota ſubſtantia, tùm quia magis vrget occulta proprietas quàm manifeſta qualitas; tùm verò quod ſuperata occulta qualitate, manifeſta faciliùs delitescit. Hæc verò quæ à tota ſubſtantia alterare poſſunt, vel Simplicia ſunt, vel Compoſita, & vtraque ſunt Alexipharmaca, vel propria, vel communia. Propria ſi inueniri poſſent, multò meliora eſſent. Sed hoc opus, hic labor. Nam vt antea dicebam, qui propriam Antidotum inuenturus ſit, ante omnia propriam veneni naturam debet habere perſpectam. At hæc intelligi non poteſt. Ergò nec illius propria Antidotus. Neq; quiſpiam obijciat, inuenta iam eſſe ſingulis venenis propria Antidota, vt Minio & Cinnabari, ſpodium ex Ebore: AErugini, Corallium: Gypſo, ſtercus muris: Ceruſę, vinum dulce ad ebrietatem: Cantharidibus, Halicacabi ſemina: Anacardijs, Pini ſemen torrefactum: Araneis, Seridem ſiue intubum, quem vulgus Endiuiam vocat: Tarantulæ, Melanthiũ, & ſaltationem ex muſica: Opio, Caſtoreum: Hydrargyro ſublimato, Cryſtallum: Auripigmento, Oleum ex nucleis Pini: Hydrophobiæ, Cynorrhodon, aquæ potum, cancroſq; fluuiales: Cicutæ, Gẽtianam: Hyoſcyamo, Piſtacia: Ficui pharaonis, Cucumeris ſemina: Fungis, alliũ: & ſic deinceps,

nosq;

nosque; pari ratione sollicitos esse debere, de hac Antidoto perquirenda & proponenda. Pollicemur sanè nos id facturos, quod & maiores nostros feciſſe vidimus, vt non indicatione, aut methodo, non experientia, quia morbus nobis neq; frequ ēs, neq; prę ſens eſt; ſed Analogiſmo tantum, hunc inquiramus: tranſitu facto à ſimili ad ſimile, vel in parte, vel in affectu vel in medicamento. Quòd ſi res minus ex voto ſuccedat, excuſationem promerebimur, q id ſaltē quòd potuimus, prę ſtiterimus. Cum ergò venenum iſtud potius externū, quàm internum ſit, ea vt cenſeo eligi debent alterantia, quæ omnium conſenſione Diaphoretica exiſtimā tur. in qua claſſe cum ſint lapides, cornua, herbęq; variæ: de omnibus quid ſentiam quambreuiſſimè dicam, à lapidibus initio ſumto. Quòd igitur ad Gemmas pertinet, ego quidem illas, cum maiores & pruriores fuerint, ad ornatum & opulentiā laudo; ad Medicinam vtrum alia ratione quàm ſiccatione prodeſſe poſſint (vt liberè dicam) vereor, & ignoro. Scio Franciſcum Rueum atq; alios Smaragdo potiſſimum vires tribuere inſignes ad venena: ſed mihi aliquando experienti, nunquam reſpō dit. Lapidi Bezoartico, ſiue Bezoar (quo nomine ſiue illum intelligamus, quem in ventribus animalium inuentum tantopere celebrant Nicolaus Monardes lib. 3. de med. nou. orb. Garſias ab Horto, Aromat. hiſto. lib. 1. cap. 45. ac Thomas Iordanus lib. de Peſte: ſiue Cerui lachrymam, cuius memi nit Serapio Rhaſis & Ioannes Langius Epiſt. 24. ſecundi libri) parum quoq; confido: Magnateſq; ac Principes conſulo, ne in eo tanti coemendo, ſint vſqueadeō faciles. Nam talis eſt impoſtorum

ver-

versutia, vt artè fabrefactum lapidem nullius frugi, triginta, quadraginta, aliquando pluribus Coronatis quos Poloni Marcas vocant, venundare soleant. Ego certè non absq; caussa hunc paruipendo, qui toto eo tempore quo Venetijs medicinã feci, ipso frequẽtissimè vsus, & eo quidem optimo credito, vtpotè huic vel alteri Senatori Veneto à maximis Principibus dono dato, aut Religiosis Franciscanis habito, quem ex Indijs Orientalibus delatum, asserebant se manibus proprijs ab animalis vẽtre extraxisse: nullum tamen inueni fructum; neq; sudorem inspexi illum salutarem ab his tantopere decantatum, sed lethalem tantum ac Diaphoreticum. Quàm ob caussam, præsenti tempore illius vsum prorsus intermisi, & cæteris prętermittendum suadeo. Quòd dixi de Bezoar, idem dictum volo de Malacensi lapide, cuius meminit Garsias ab Horto, nam si quòd celebrius est, non iuuat, neq; iuuabit minus celebre. Tutius atq; efficacius puto esse medicamentum ex cornibus paratum. Et quanquàm multa proponantur cornua aduersus venena: celebratissimum tamen omniũ est Monocerotis cornu, quod nos in præsentia substantiuè, non adiectiuè intelligendum esse volumus. Cum enim multa sint animalia quæ ab vnico cornu, adiectiuè Monocerotis nomine donari possunt, vt apud Arist. Oppianum, Plinium, AElianum Rhinoceros, Monoceros, Orix, Asinus Indicus, & alia id genus non modo terrestria, sed aquatilia: nos, pręcipuos secuti medicinæ scriptores, Marsilium Ficinum, Brasauolam, Aloysium Mundellam, Matthæolum, Andream Baccium atque alios, illi hac in parte palmam tribuimus

quòd

quòd equi formam habet, atq; longum váldè in ipsa fronte gerit cornu, quòd tanquam rarissimũ, in Principium Thesauris, inter precioſiora seruatur. Quòd si quispiam hoc careat, Ceruinum cornu substituat, quòd profectò ego nõ minus efficax existimo, quàm quoduis aliud: propter insignem, quàm habent vim sudorificam. Quia verò scio cõ sueuisse plurimos illud pręparare, comburere, infundere: mihi præparatum minus placet; Etenim per vstionem partes aereæ ac tenuiores dissoluuntur: per infusionem verò obtunduntur & incrassãtur, iccircò infirmantur. Lima ergò terri potest, & ex decocto aliquo sudorifico, vel aqua destillata superius descripta præberi ad dr. j. Neq, Rhinocerotem reijcio, cuius maxima apud multos est copia. Ex Herbis, illæ omnes probantur, quæ aquæ descriptionem ingrediuntur, & præter illas Scorzonera Hispanica, cuius aqua destillata nunc passim ex Indijs defertur, habeturq; inter prima aduersus venenum sudorifica. Non sum quidem sæpe vsus hac aqua, aut radice, quàm saccharo condita degustaui apud Illustrissimum Equitem & Reipublicæ Venetę Senatorem Amplissimum, Patronumq; meum colendissimum, Franciscum Molinum, qui proximè ex Hispania rediens, vbi apud Catholicam noui illius Regis Maiestatem pro Republica Veneta Legationis munere functus erat, aquam & radicem attulit secum: iucundamque inueni, iccircò minimè improbandam, quòd iucunditati, vim sudorificam insignem connexam prędicent. Ex compositis, multa inueniuntur passim apud scriptores celebratissima, maximè verò illa, quę apud Mattheolum leguntur in Prefatione

ne ad sextum librum Dioscoridis: Apud Cardanum 3. de venenis cap. 3. atq; alios plurimos, quos recensere operosum esset. Egò sanè quanquã scio mihi vitio verti posse, quòd meis Cõpositionibus nimis sim addictus: Deum tamen testor, me omni ambitione, & vanę gloriæ spe semota, ea tantũ extollere, quæ in præsenti casu ad rem proximius accedere videntur, siue à me ipso, siue ab alijs inuenta. Hoc dico quia cum aquam meam quandã sim propositurus, qua tam frequenter nunc in Pestiferis Patauij vtor, non minori profectò successu quã spe: posset quispiam nos statim ridere, fortè etiam tanquam vnico ad plures vtamur calceo, accusare. Ego verò his prorsus neglectis, quòd rationi consonum est, non prætermittam; Itaq; in affectu isto Polonico, non quidem in omnibus, aut quocunq; tempore, sed calidioribus potissimũ, & æstate accipiendam suadeo. Etenim fieri potest, vt quidam febricitent, vel si non febricitent, calidioris sint habitus, & temperamenti, vel ex constitutione, vel ex tempore æstiuo, vel ex vino, vel ex alia simili causa vltra modũ incaluerint; quibus aqua illa Theriacalis antea descripta, quanquam alexipharmaca, simplex saltem periculosa esse posset. Atq; ideò aut huic frigidiori permiscenda, aut si feruidissimum sit corpus, nostra hæc tantum temperatissima præbenda. Nam & si, hæc potius ad alterandum, quàm ad euacuandum per cutem venenum sit proposita; non tamen caret facultate diaphoretica; & ob causas infra dicendas, valdè est amplexanda. Erit autem illius dosis vnc. j. adminus in adultis, in pueris vnc. s. Possunt tamen tuto præberi etiam vnc. ij. & iij. bis singulo quoque

die, hora vna, vel altera ante cibi assumptionem. Vtantur autem ea actu calida, maneantq; in loco post illius assumptionem calido, vt in extimas omnes corporis partes penetrare, ac virulẽtam materiam profligare valeat. Hanc aquam non iniuria in Sarmatico hoc veneno extollere videor, qui cum mihi persuaserim illud in materia pingui residere, pinguem verò materiam ex sanguinis ebullitione fieri, ebullitionem autem ex assumptis cibis, ac potionibus calorificis: profectò nihil videor ad refrigerandum corpus, ad supprimendam ebullitionem, ad attenuendam oleosæ substantię crassitiem, ad digerẽdum deniq; venenum, aptius hac aqua excogitari posse. Illud autem maxima in hac me confirmat sententia, quòd legerim in illius Illustrissimæ Matronæ Epistola, Saccharũ rosatum eidem summopere contulisse. At si Saccharum rosatum quòd frigidum est, neq; facilè in ambitum corporis potest distribui, potuit tamen sensum caloris in externis etiã partibus existentem mitigare: quid facturã putamus aquã istam, quæ frigiditati, insignem habet copulatã partium tenuitatem, ac seipsã in penitiores quasq; partes insinuandi facultatem? penetrabit sanè, refrigerabit, venenum dissoluet. Et quanquam non inficior, fortiorem esse ad educendum venenum Theriacalem illam superius propositam, in frigidioribus quoq; temperamentis, statuq; cœli frigido libentius accipiendam esse: nihilominus propter adscititiam, & extraneam caliditatem quæ in hoc casu admodum vrget, in temperamentis saltem calidioribus, atq; anni tempore, constitutioneq; frigidiore, hanc libentius, tutiusq; admittendam esse censeo. Accipiant

piant ergò Nobiliſſimi Poloni, noſtrum hoc aquę inuentum, in peſtiferis febribus feliciſſimè adminiſtratum, in Plica quoque Polonica vt ſpero, & opto, apprimè profuturum. R. Succi Borraginis, Bugloſſæ, Meliſſæ, Biſtortæ, Verbenacæ, Oxylapati, Acetoſæ, Rutæ capratiæ, Myrrhidis, Cyani maioris, & minoris, Roſarum, Calendulæ, Limonum, Citri an. vnc. vi. Succi Pimpinellæ quàm Saxifragiam dicunt, Pentaphili, an. vnc. iij. Aceti vini albi lib. j. ſem. Portulacæ, florum Nymphæę. an. vnc. ij. Terræ lemnię, Sileſiacæ, Sammiæ. an. vnc. j. s. ſem Citri vnc. s. ſpecierum Triaſandal. dr. vi. Margaritarum præparatarum cum acido citri. dr. iij. Infundantur ſpecies in ſuccis, & facta maceratione per tres dies, deinde deſtillentur per Alembicum vitreum. Hæc eſt aquæ noſtræ deſcriptio, quàm poterunt in Polonia prępparare, aut Patauio in Poloniam defferre. Etenim multos etiam menſes perdurare poteſt. Huic aquæ cryſtalli vſum ſubiungo, quem cum ſciam non modo refrigeratorium eſſe, verumetiam in pollinem redactū, vſqueadeò tenues habere partes, vt craſſo ſanguine attenuato, poſſit lactis abundantiam mammis iam tabeſcētibus concedere: videor pari ratione affirmare poſſe, illum ad Dr. j. cum aqua roſarum, aut alia conſimili per dies multos epotum, mirifice profuturū. De alterantibus internis à tota ſubſtantia ſatis dixiſſe videor. Ad illa ergò iam me conuertam, quæ ſiue interna, ſiue externa ſint, manifeſtis qualitatibus agere conſueuerunt.

CAPVT LX.

DE ALTERANTIBVS VENENVM PER MANIFESTAS QVALITATES.

IN præsenti capite, cum nobis institutum sit ea proponere quæ per manifestas qualitates venenum hoc Polonicum alterare valeant: ne mo exspectet, nos tot esse propositurum auxilia aut eorum materias alterantes: quot sunt vitiosa corporum temperamenta. Non enim hoc in præsentia quęrimus: sed illud tantum, quomodo temperamentum corporis qualecunq; tandem à natura fuerit, nunc ad calidius conuersum, vel propter errores in victu, vel propter ipsam veneni vim calorificam, ac moderate putrefactoriam, possit alterari, & in melius commutari. Certum quidem, & ex proximè dictis perspicuum, non alia ratione id peragendum quàm refrigerantibus; ea tamen lege ac conditione, vt nunquam naturale temperamentum spernamus, neq; venenum prorsus omittamus. Itaq; si tractandum nobis g. e. sit Corpus pituitosum, ab hoc tamen veneno supercalefactũ: tẽperata potius eligatur medicina, siue aqua Thermalis aliqua moderatè calida; quales apud nos sunt Lastrenses vocatæ, omnium sanè celebratissimæ, & in hac parte vt puto laudatissimæ, siue conseruæ, pulueres, rotulæ, electuaria, aquæ stillaticiæ, omnibus notissimæ. Pro veneno, addantur vel pulueres dicti, vel aqua cordialis nostra. Quòd si calidum fuerit corpus, & ex propria natura, & ex acci-

accidenti, accipio libenter Polonorum consilium quos intelligo mense Maio vti lacte equino, & caprino. Probo inquam huius vsum, dummodo nutriantur animalia herbis refrigerantibus, & libra vna vel altera assummatur, quæ aluum molliter deijciat. Vtebatur eo Hippo. in Causo, nos multò tutius eò vtemur absq; febre. Illius autem loco libentius accipio serum caprinum, succos frigidos, aquas frigidas destillatas, vel naturales medicatas, de quibus antea quoq; dixi. Nostræ Patauinæ Virginis, & Tegulæ vocatæ, erunt si quæ aliæ, omnium aptissimæ: dummodo in his etiam præbendis cordialia non dimittantur. Quòd verò ad exteriora pertinet, nihil est quòd melius scopum hunc adimplere possit ipso balneo. In quo administrando eandem consulo seruari debere rationẽ, quæ de internis iam dicta est: vt scilicet temperamenti naturalis, & veneni ratio habeatur. Atque ideò in frigidioribus, temperatum eligatur balneum, vel ex eadem aqua Thermali temperata, vel ex alterata, cum Chamœmelo, Anetho, Meliloto, Malua, Hordeo, Lupulis, Auena præcoce, Smilace læui, quæ eandem cum Lupulis obtinet facultatem. Pisa quoq; minora audio Polonos in balneis istis addere, fortè Tragi errore ductos, qui Pisis vim illam tribuit absterforiam, quàm Ciceri quidem concessit Gal. Pisis autem manifestissimè denegauit, primo de Alim. Facult. atq; alibi. Idcircò Pisa dimittantur, & in eorum locum Cicer, Faba, Lupini, aliaq; id genus absterforia addãtur, vt simul & semel alterandæ intemperaturæ, & euocandæ virulentiæ ratio habeatur. In calidioribus autem balneum ex dulci aqua paratum sit, Malua,

Hordeo,

Hordeo, Lapatio, Violis, Nymphæa, foliis Salicis, Vitisq; alteratum. Sit verò minimè frigidum, sed tepidum: æstate diebus singulis lauent, hyeme alternis diebus, aut bis in hebdomada. Non ignoro alia multa in eandem finem proponi posse: sed satius est vnico vti remedio, atq; eo quidem efficacissimo, & ad omnia aptissimo, quàm multis inefficacioribus, & vnicam tantum partem respicientibus; qualia essent epithemata, vel fotus, vel linimenta, aut alia id genus, pro renibus, ac iecore instituta. His ergò sic prout decet administratis, nil aliud supereſt pro huiusmodi malo integre superando: quàm capillos ipsos inuolutos, (si fortè psilothro sublati non sint, aut sponte sua non ceciderint) iam præscindere. Id quòd nos audacter facere posse credo: cum veneno omni exstincto, multitudine ac prauitate humorum superata, intẽperatura partium vitiosa commutata, nullum amplius ex præcisione periculum immineat: vt ego ipse propria doctus experientia, testari possum, qui in D. Taranovvski quem curaui, manibus proprijs Plicam in vertice capitis existentem innoxiæ abscidi. Hæc igitur pro expugnando veneno habuimus, quę proponeremus; non quidem omnia omnibus admouenda: sed varijs, pro eorum statu, ętate, sexu, atq; alijs id genus varia. Reliquũ est vt de sympt. quędam, ac relictis morbis quambreuissime dicamus: deindè verò ad præseruandi rationem descendamus.

CAPVT

CAPVT LXI.

DE SYMPTOMATIS AC MORBORVM PECVLIARI CVRATIONE.

TRia sunt in Plica admodum molesta, atq; incommoda: dolor, spasmus, & gibbositas. Et dolor quidem ac conuulsio fiens tunc tantum torquent, cum Plicę venenum viget: Spasmus verò iam factus, & Gibbositas, etiam post sublatam Plicæ virulentiam, permanent. Itaq; primo quędam aduersus dolores, ac conuulsiones fiē tes proponenda sunt: mox & alia pro spasmo facto, & gibbositate. Ad dolores ergo tollendos, cum auxilia quæ causſam respiciunt præsto non sint; ne que refrigerantibus vtendum, neq; stupefactorijs: ne venenum magis impingatur, sed Anodinis tantum. Iccircò oleum ex luteis ouorum, Amygdalarum dulcium, Chamæmellinum, Anethinum, sint in vsu. Aut fiat linimentum ex oleo Amygdalino, & luteis ouorum, aut fiat fotus, vel balneum toto corpori ex oleo communi tepido, vel ex lacte, vel ex decocto Maluę, Altheæ, Chamęmelli, Anethi, Meliloti. Aut detinentur super loco dolente omentum oleo aliquo imbutum, aut catulus, aut vesica bubula, vel porcina oleis prædictis, vel decoctis impleta. Ad conuulsiones verò, si fuerint vniuersales, circa totam spinam detineatur linimentum ex mucillagine, radicum Altheæ, & seminibus Maluę, ex pinguedine Anatis, Anseris, Buthyro, medulla cruris Bouis, oleo Amygdalino,

Vul-

Vulpino, præcipuè verò ex Iasminis, quod Arabes vocant de Zambach. Vel ibidem apponantur vesicæ pariter oleis, vel decoctis proportionatis imbutæ. Quòd si pars aliqua post sublatum venenum contorta, vel conuulsa relicta fuerit: huic succurrendum primò quidem mollientibus, attenuãtibusque, deindè verò digerentibus. Et mollientia quidem, atq; attenuantia hoc ordine administrari debent: vt modo hoc, modo illo viciſſim vtamur. Gratia exempli, ſi brachium, vel pes, aut genu fuerit contractum: primò per dies ſex vel octo, detineatur aut in aqua lanarum, aut in ventre bouum nuper mactatorum, aut in luto emolliente quale eſt apud nos S. Bartholomæi. Aut ſuperimponatur œſipũ humidum, aut linimentum illud paulò ante ad conuulſionem fientem propoſitum, deindè verò exordiamur vſum medicamentum attenuantium, inter quæ præſtantiſſimum erit ſuffumigium ex lapide pyritide, aut molari, aceto acerrimo inſperſum, in quo bullierit Bryonia, radix cucumeris ſylueſtris, Collocynthis, Agaricus, Cyclamen, Hyua, Saluia, Roſmarinũ, Iuniperus, Calamenthum, Origanum, &c. id genus. Poſt ſuffumigium, ſtatim adhæreat parti emplaſtrum, ex gummi Ammoniaco in aceto diſſoluto, fiatq; hoc viciſſim per dies multos. Tandem verò apponatur quoq; emplaſtrum diſcuſſorium, quale eſſet iſtud. R. Ammoniaci, Bdelij, Opoponacis, Serapini. an. dr. ij. Collocynthidis, Bryoniæ, Cucumeris ſylueſtris, Cyclaminis an. dr. j. s. Euphorbij dr. j. Piperis, Pyrethri, Sinapis, an. dr. s ceræ q. ſ. m. & fiat ceratũ vulgo vocatum. Non vereor luta, ac naturales foueas apud Montẽ S. Helenæ in agro Patauino exiſtentes,

stentes, multò melius quàm reliqua omnia auxilia contractiones istas sanare consueuisse. Sed longè absunt Poloni, neq; omnibus datum est huc se conferre. Itaq; alijs vtantur. Quòd ad gibbos spectat, sanè si ex tuberculis morbus fuerit factus, nulla salutis spes, nulla curandi ratio. Ad prohibendum quidem gibbositatis augumentum, Thoraces illos ferreos, affabre concinnatos quorũ meminit Ambrosius Paræus lib. 22. cap. 8. minimè improbo; sed hi non sanant. Audio Polonos ad hanc affectionẽ, adipem Errinacei in Auctumno capti adinuenisse: ego neq; hunc improbo, neq; vllum ex illis medicamentis quæ ad reliquorum membrorum contractionem valere dixi. Idẽ enim est molliendi, attenuandi, ac digerendi scopus, quando in casu isto salutis aliqua spes relinquatur. De curatione satis. Ad prẹseruandi rationem transeo.

CAPVT LXII.

DE RATIONE PRAESERVANDI.

GRatissimum profectò est vnicuiq; morbo laboranti ab eo quamprimum liberari: multò autem gratiùs, si id fieri posset, in illum nunquam incidere. De curandi ratione quã tum vires nostrẹ patiebantur, abundè diximus: nunc verò de Præseruatione agendum. Tria sunt præcipua, quẹ ad arcendum hunc morbum sedulò obseruari debent. Primum, vt pauca generentur excrementa: Secundum, vt si multa, non retineãtur: Tertium, si retinentur, ne in venenum transeant. Ad hæc tria euitanda, congrua propone-

mus auxilia. Tria sunt propter quæ omnium maximè praua excrementa in his corporibus augeri possunt, Aer, Cibus & Potus, Luesq; Venerea. Quòd ad Luem pertinet, paucis me expedio. Vitandus est impurarum mulierum contactus; vel si aliquando congressus iste morbi suspitionem intulerit, statim congruo Alexipharmaco superanda. De Aere verò illud etiam breuiter dictum volo: Aerem minimè palustrem, aut lacustrem esse eligendum, neque in conuallibus concluſum; cuius causſa dicebat Aristoteles eos multò citius senescere, quàm illos qui in Montanis locis, atque Aeri ventilato expositis degunt. Habeatur quoque ventorum delectus, vt fenestræ domus ad Orientem, & Septentrionem potius quàm ad Meridiem, vel ad Occidentem vergant: cum Venti omnes Meridionales, & Occidentales, Austrini, magnaq; ex parte humidi sint, atque ideò Hippocrati, & Aristoteli suspecti: contra verò Boreales; atq; omnium maximè Orientales, ad robur corporis, & valetudinem sint aptissimi. Quòd si aliquãdo (vt antea nos suppoſuimus) constitutio temporis humida sit, & à salubribus ventis silens; tunc alterandus est Aer, accensisq; ignibus exsiccãdus: vt aliquando fecisse Hippocratem nos docuit Galenus, non quidem lignis ex communi materia desumptis, sed apprimè odorificis, vt Iunipero, Cupresſo, Lauro, alijsq; id genus. De cibo autem, & potu tot essent de materia idonea, quantitate, tempore sumendi, ordine, ac præparatione dicenda: quæ integrum exquirerent librum. Sed cum hæc sint admodum communia, & passim apud vnumquemq; Medicinæ scriptorem legi possint: à

nobis

nobis prætermittentur; & eò potissimùm, quòd nemo eorum qui totum hunc nostrum Libellum perlegerit non facilè consequatur: ab ijs abstinendum cibis, & potionibus, quæ caussam hanc morbificam in corpore augere superius notauimus; nempè vino generoso, aqua ardenti, seu vino cremato, medone, & cereuisia potenti, aromatibus, potissimùm verò à frequenti crapula, ebrietate, & (eduliorum ingestione quæ crassioris succi sunt) vt pisces testacei & crustati, cartilaginei, placentulæ, & legumina, caseus & lacticinia, quæ omnia plus nimio ingesta morbum faciunt: frugaliter accepta, à maximis vindicant morbis. Sic enim legimus apud Porphyrium in vita Plotini, Rogatianum hac sola abstinentia; à podagra, & chiragra liberatum.

CAPVT LXIII.

DE CORPORIS EXERCITATIONE.

MVlti quidem sunt loci per quos aucta vltra modum excrementa, euacuari possunt, ac debent: de nullo tamen magis in præsenti hoc Morbo debemus esse solliciti: quàm de vniuerso corporis ambitu, per quem fit sudor, vel insensibilis transpiratio. Nam si materia huius morbi excrementum est tertiæ coctionis: per cutem sanè euacuari debet. Cum verò inter ea quæ per cutim expurgant, nil exercitatione sit præstantius: de exercitatione aliqua dicenda à præsenti speculatione minimè aliena: quando facilè fieri potest, vt vel ex intermissa exercita-

tione, vel saltem debito modo non peracta, magnum, præsens materia susciplat incrementum. Exercitationis laudes in præsentia longa oratione non prosequar: illud tantum dicam, tria omnium maxima & prȩcipua exercitationem præstare: excrementorum quæ in vniuerso corporis ambitu sunt expurgationem: membrorum omnium robur, ac firmitatem: natiuiq; caloris incrementū. Hinc magnus ille Hippocrates, auream protulit sententiam, Studium sanitatis esse, cibis nō implerl, & ad exercitia impigrum non esse. Si ergò tanta præstare potest exercitatio: quis non libenter ad hāc confugiat, vt & ab hoc ipso, & ab alijs plurimis morbis absq; medicamentorum molestia, sine tenui & exquisito victu, ac summa cum exercentis oblectatione vindicari possit? Non ignoro statim dicturum aliquem, non omnes ad exercitationem esse aptos, Mulieres potissimum, & Infantulos hoc Morbo vexari, neutrum verò ex his posse aut debere exerceri: idēq; esse iuditium de senibus, ac Magnis viris, quos certæ quædam exercitationis species non decent: at verò non est vnus exercendi modus, aut ratio. Iunioribus quidem, & Nobilioribus imperetur equitatio, venatio, cursus, pugna vmbratilis, lucta, ludus pilæ, secundum Regionis consuetudinem, vel alia id genus antiquis cognita, & opera, ac labore Excellentissimi Hieronymi Mercurialis Præceptoris mei perpetua obseruantia colendissimi è tenebris erutа, nobisque magno artis Medicæ emolumento, atque nominis illius celebritate communicata. Agrestes possunt ipsi quoque currere, luctari, maximè verò fodere, frumenta flagellis excutere, aceruorum merges

ges disponere, lignain siluis secare,& conuehere, in strues componere. Seniores, Grauiores, Mulieres, quis prohibet ambulare? si non extra,saltem intra ędes? ascendant,descendantq; scalas,circuāt totam domum. Si nullo modo exerceri possint: frictione aut balneo vtantur,de quo dicam postea. Quanquam autem exercitatio sit vsq; adeò vtilis: debet tamen proprijs legibus circumscribi. neq; enim gracilibus hanc impero: sed pinguioribus,vt fecit Aristoteles tertio de partibus Animal. cap. 9: neq; fame confectis,de quibus Hippocrates secunda aph. 16. Vbi fames,laborandum non est: neque admodum repletis & cacochymis,vt monuit Gal. tertia aph. 21. Inassuetos video quidem Hippocratem secunda aph. 49. docuisse, difficilius labores ferre quàm assuetos: non tamen propterea exercitatione prorsus interdixisse. atque ideò qui assueti non sunt, sensim assuescant, vt à paruis exercitationibus ad moderatas, à moderatis ad vehementiores transeant. Sit autem hic motus corporis ante cibum. Labores cibum prędedāt,dicebat Hippocrates. Terminus sit rubidus faciei color, venarum inflatio, sudoris initium. Fiat quocunque anni tēpore, AEstate tamen calidiores abstineant, frigidiores nequaquam: ceteris anni temporibus audacter exerceantur omnes. Nemo autem exercitationem aggrediatur, qui antea consueta alui, & vrinæ excrementa non deposuerit: neq; statim cibum potumuè assumat, aeriuè frigido statim ab exercitatione se exponat: sed in loco calido maneat, vsque quo ad statum naturalem corpus redeat; deinde verò cibum capiat. Hæc de corporis exercitatione, qua si quis vti non possit, ad

fri-

frictionem, & Balneum confugiat: de quibus nunc dicam.

CAPVT LXIV.

DE BALNEIS, ET FRICTIONE.

TAnta fuit olim Balnearum vtilitas: vt non iniuria existimauerint quidam, Romanos non aliam ob causſam sexcentos ferè vixisse annos sine Medicis, ac medicamentis, quā quòd Balneis tam frequenter vterentur. Et sanè quantum illis tribuat Galenus, ex eo saltem conij ci potest: quòd quincto de Tuenda Valet. dixerit, Antiochum Medicum annos octoginta, Telephū Grammaticum ferè centum vixisse, nunquam intermissa lauandi ratione. Idemq; scribit Primigenem Philosophum ex secta Peripatetica, qua die non lauasset, febricitasse. Atq; ideò ante Galenum celeberrimi quiq; Medici, Cornelius Celsus, Antonius Musa, Andromachus, Rufus, Erasistratus, inter præcipua remedia, balneas habuere. Vt nobis non absque causſa dolēdum, qui nostro æuo veram, ac legitimam lauandi rationem ignoramus, vtpotè qui loco etiam proprio, & accommodato destituti sumus, in quo huiuscemodi operatio tam iucunde commodè & vtiliter Antiquioribus nostris & publicè & priuatim accepta, in vsu haberi possit. Ceterum qui iam caremus distinctis illis locis, Laconico inquam, Calidario, Frigidario, Tepidario, Apodyterio: non tamen debemus deterreri, Balneis vsum prorsus reijcere: cū ad corporis munditiem, ad aperiendos poros, ad

pur-

purganda tertiæ coctionis excrementa (post corporis exercitationem cui primas tribuo (maximã habeat partem. Eligatur ergò locus calidus, qualia sunt Polonorum, Vaporaria, in quibus præparetur Labrum dulci aqua plenum, cui antea incoquãtur Malua, Lapathium, Hordeum, Lupini, Calamintha, Salúia, Rosmarinum. ingressus in Labrum sit ante cibum: mora in Balneo sit vsquequo digiti flaccescant. digerere enim studemus non impinguare. iccircò aqua sit calidiuscula, extergaturque corpus isto tempore, sacculo ex linteo aspero, furfuribus repleto, vel Siligineis, vel alterius generis. Post exitum Balnei, aeri se ipsos non exponant, neq; statim cibum capiant. Possunt quidem hæc administrari in quacunq; ætate, etiã puerili, & infantili, quanquam in hac ętate tepidiora, & minus calida esse debeant. Abstineant verò ab his, qui destillatione laborant, qui præcipuum aliquod membrũ imbecille obtinent, qui ad summum plenitudinis deuenerunt, & qui adeò cacochymi sunt, vt in Balnei ingressu in horrorẽ incidant. His enim omnibus, ex Balneo, aut Syncope, aut præcipui alicuius membri inflammatio imminet. At si Balneo vti non licet, neq; exercitatione: quid ergò agendum? Frictio, aut simplex, aut ex oleo aliquo digerente & relaxante in hoc casu non est improbanda; sicuti neq; Sudorificum Laconicum, quòd Balneum æreum vocant, alij Thermulas, vel Hipocausta lecti, appellant. Horum frequentissimus est in Germania & Italia vsus, & ad Præseruationem præsentis morbi quantum ego censeo vsq; adeò accommodatus: vt nihil melius eligi possit, si error in illius vsu non commit-

mittatur. Præferendæ sanè Balneo, & exercitatiõ ni in hoc saltem videntur huiuscemodi Thermulæ: quia illud continuatis horis diurnis, ac nocturnis præstent: quòd semihora vel hora vna facit Balneum, & Exercitatio. Sed latet anguis in herba. Nã sicuti Exercitatio, & Balneum assumpto cibo vsurpata, corpori essent noxia: ita huiuscemodi Stuphę, quę corpora inueniunt multò ac crudo cibo, & potu repleta: tantum abest vt iuuent, vt potius manifestam afferant pernitiem, tantò scilicet Exercitatione & Balneo maiorem, quãtò longior est stuphæ, quàm aliorum actio. Neq; tamen propterea quispiam animo cõcipiat, me Germanis Polonisuè cibi in Hypocaustis assumptionem prohibere: frugalem cibum, parcumq; potum non prohibeo, sed crapulam, & ebrietatem, quàm vsu Laconici eò deteriorẽ fieri puto, quò à duplici causa interna, & externa, vapores calidi, & multi, crudi, & crassi in totum corpus distribuuntur, atque in caput rapiuntur.

CAPVT LXV.

DE EXCREMENTIS A CAPITE EDVCENDIS.

EXcrementa cerebri, docuit aliquando Galenus nono de vsu part. primo, duorum esse generum, crassiora quædam, alia tenuiora: & crassiora quidem, per os, & nares Apophlegmatismis, Gargarismatibus, Errhinisq; varijs educuntur, de quibus etiamsi nonnulla in parte curatrice

trice dicta sunt: illud tamen in præsentia saperaddere expedit, quando id tulerit excrementorum copia, ac natura; efficaciora illa omnia esse accipienda, quæ in curatione ideò refutauimus, ne fortè venenum ab externis, ad internas partes reuocaremus. Tenuiora autē sunt excrementa, quæ per futuras capitis, cutemq; ipsam euacuantur, de quibus apprimè solliciti esse debemus. Pro illis autem educendis, ea omnia, vno verbo, faciunt: de quibus in parte Curatrice habita est mentio. Lotiones inquam ex Decoctis illis rhypticis, & extersorijs, smegmata, sapones medicati; adhæc verò quotidianæ pectinationes. Et sanè mecum ipse aliquando animo reputaui, cur Poloni hæc non habeant in vsu, vel si habent cur à Plica non præseruentur? Non enim in præsentia loquor de communibus lotionibus propter solā capitis munditiem institutis, quas scio obesse, & veneni transmissionem prohibere: sed de medicatis verba facio, quæ Sphondylium recipiant, Fabas, Lupinos, Orobum, Eruum, Amygdalas amaras, Elleborū, Iridem, Calamintham, Origanum, Sisymbrium, aliaq; id genus relata. Quæ enim est ratio cur hæc copiosum venenum haurire possint: prauum verò excrementum quòd in dies colligitur extrahere non valeant? Ego certè nullam huius rei caussam inuenio, atq; ideò cogor pertinaciter in hac sentētia insistere: expurgato paullatim in singulos dies per insensibilem istam transpirationem capite, nihil reliqui fore, ex quo cirri, plica, furfures, aut pediculi gigni, vel augeri possint. Itaque viri in posterum breuiores gerant capillos, & more Romano frequenter præscindant, quotidiè primum

caput ſmegmate aliquo confricent, ex puluetibus antea à nobis deſcriptis confecto. quia verò illi calidiores ſunt; ſi cui caput fuerit calidius: pulueres frigidi parentur, ex Pumice, Teſtis, Cochis, Buccinis, Purpuris, oſſe Sepiæ, Corallijs, Hordeo, atq; alijs id genus præparatis. Poſt Smegma, vtatur pectinatione: ſingulis octo diebus lauent caput Lixiuio iam dicto: ſaponeq; medicato ſuperius deſcripto vtantur. Ad Preſeruationem hæc ſanè mea ſententia valdè conducent.

CAPVT LXVI.

DE EXPVRGANDIS ALIARVM PARTIVM EXCREMENTIS.

PAucis expedio preſens hoc caput. nam cũ de expurgandis aliarum omnium partium excrementis incidit mentio: de vomitu nihil plus in medium afferam quàm in curatione dictum ſit. Sed neq; in proponendis remedijs ad ſuppreſſos menſes, vel hęmorrhoides longior ero. De aluo hoc tantum dicam: ſollicitos debere eſſe admodum Polonos, de exoneranda quotidie liberaliter aluo, aut clyſteribus, quando recentes ſunt in ventre cruditates; aut pillulis vel alijs medicamentis. Et ſicuti pro curatione omnia efficaciora, prohibui: ita pro præſeruatione cuncta concedo. Atque ideò neq; catapotia quæ recipiant Elleborum, & Hermodactylos Colocynthin, & Scãmoniũ; neq; Electuaria, vel Hierę magnæ Logodionis, Pachij, & Archigenis improbantur: dum-

dummodo in frequenti vsu non habeantur, ac vires ipsæ sint ferendo. Laudamus quoque genera dem quandam corporis purgationem bis in anno Vere, & Autumno peractam. Pręter quæ omnia, tertium succedit agendum antea propositum, de Antidotis scilicet, quibus corpus pręseruari possit, nè excrementa in venenum transeant, quòd faciemus sequenti & vltimo huius operis capite.

CAPVT LXVII.

DE PRÆSERVANTIBVS A VENENO.

QVanquam ea omnia, quæ superius valere diximus ad alterãdum venenum pro prietate substantiæ, possint etiam Prę seruationis loco haberi: attamen licebit nunc quoque alia quædam subiungere, quæ ideò in parte curatiua nobis recepta nõ sunt, quod non facilè in corporis ambitum, ad alterandum venenum ibi consistens distribui possint; ad Præseruationem autem valeant: quia cordi, præcipuisq; partibus firmitatem tribuunt. In hac classe primum sunt Terræ variæ, vt Bolus Armena, Terra Lemnia, Sammia, Selinusia, & quæ nunc Selisiaca vocatur, atq; alia Pedemontana, quàm Bezoar minerale vocant; puto autem mixtam esse ex Sammia, & Bolo Armena. Non disputabo in præsentia vtrum nostra Bolus Armena, aut Terra Lemnia eadem sit cum Bolo, & terra Galeni, atq; Antiquorum; quam disputationem pro parte ne-

gatiua susceperunt Brasauola in examine Simplicium, & Matthæolus in Dioscoridem: pro parte autem affirmatiua Georgius Agricola in suo Bermanno. Hoc quidem scio, me in proprio Musæo Bolum habere Armenam, quæ omni ex parte notis à Galeno propositis respondet; vt scilicet primo aspectu lapidem æmuletur, atq; coloris sit pallidi; Iccircò hanc probo, non autem rubricam illam Lemniam qua passim pro Bolo in officinis vtuntur. Dosis autem sit ad drac. s. bis saltem in hebdomada, ex vnc. j. aquæ nostræ cordialis, aut alterius similis. Idem verò de alijs quoque terris esto iudicium. De Auro, & Argento, ac ceteris Gemmis, idem sentio, quòd antea dixi de Smaragdo; intrinsecus scilicet nullum esse talem illorum vsum, vt tanto labore atque impendio præparari, ac propinari debeant. Scio Plinium, libr. 33. cap. quarto, Auicennam, lib. de med. cord. tract. secundo, cap. tertio, Mesuem in descriptione Ellectuarij de Gemmis, Iacobum Syluium, primo de comp. med. Scaligerum, exercit. 272. Cardanum, 12. de subtil. Ioannem Costæum, scholijs in Mesuem, Hieronymum Rubeũ, sectione xi. cap. xx. alioſq; plurimos de Auri vsu aliter sensisse: sed tamen cum videam Aurum illud potabile per aquas tantum corrodentes in liquorem verti, atq; ideò vrens esse, non liquatum verò inspiciam ab igneo calore non transmutari, neq; assumptum aliquid perdere, imò verò eiusdem ponderis euacuari, quo fuerat assumptum: in Brasauolæ, & Thomæ Erasti sententiam abire cogor, qui hac in parte nihil illi tribuerunt. De Margaritis alia est ratio. liquantur enim vsu succi limonis

monis facilè, & eorum generatio est ex substantia humida aerea, non sine aliqua oleositate & pinguedine, quàm ob caussam inter cardiaca, siue præparatæ, siue non præparatæ, primas habent partes. Possunt quoque ad præseruationem admitti absque multa disputatione omnia animalium cornua, siue habeant vngulam solidam, siue diuisam; & si diuisam, siue bisulca sint, siue multifida? Cum enim minimè sit necessaria præseruationis tempore eggregia illa vis sudorifica, sed siccatoria aliquid non spernendum præstare possit. Iccirco parum refert siue ex hoc, siue ex alio cornu puluis exhibeatur. Ceterum neq; cordialia acida præcipuè æstiuo tempore erunt omittenda, succus potissimum citri, tãtopere Athenęo ac Virgilio celebratus, siue simplex, siue Saccharo mixtus, eodemq; tempore alij omnes succi acidi, vt ribes, aranciorum, granatorum, aliorumuè id genus in vsum corporis venire poterunt. De reliquis magnis Antidotis plura hoc loco mihi non videntur dicenda: ne frustra videar idem sæpius repetere. Iccirco finem operi tandem imponens, Deum Opt. Max. supplex precabor: vt conatus nostros irritos non reddat: aut Nobilissimam gentem Polonam spe de me iam concepta frustrari nõ permittat. Ad Dei enim gloriam, & in illorum vtilitatem, hæc scripsimus:

FINIS.

APPROBATIO.

Liber iſte Medicinae Excmi. ac Praeclariſſimi Medici, Domini Herculis Saxoniae nihil continet, quod aut ſit contra fidem, aut quod bonos mores corrũpere poſſit, immò doctrina, & maxima eruditione refertum ẽ. Quem librum diligenter perlegi iuſſu & nõe Illtis. atque Excmi. Vicarii Generalis Epiſcopatus Paduae, die 4. mẽſis Martii M. DC.

Hieronymus Zacchus Archipresbyter Patauinus Sacrae Theologiae Doctor.

Imprimat' attendente tamen approbatione R. P. Inquiſitoris Aloys. Brullinus Vic. Paduę.

F. Hieron. Pallant. Theol. Pub. cõcedit vt imprimat' pro Pre Inqſitor Paduę.

150

PATAVII,
Ex Officina Laurentij
Pasquati

Typographi Almæ Vniuersitatis Iuristarum. Anno Domini

CIↃ. IↃ C.



Petit Ardua Virtus.

247

PATAVII.
Ex Officina Laurentij
Pasquati
Typographi Almæ Vniuersitatis Iuriſta-
rum. Anno Domini
CIↃ. IↃ C.

BIBLIOTH: UNIV:
JAGELLONICAE

Petit Artium Virtus.